

cm  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29

Det här verket har digitaliseringen vid Göteborgs universitetsbibliotek.

Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.

All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.

This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



GÖTEBORGS UNIVERSITET

JOHANNIS MESSENII  
SCONDIA  
ILLUSTRATA,

*Seu*  
CHRONOLOGIA DE REBUS SUECIÆ  
*Potissimum;*

Deindè Regnorum etiam adjacentium,  
in quantum illius conductit cognitioni;  
*Tam Ecclesiasticis quam Politicis,*  
ab anno MCCCXX. ad MCDXLVIII. CHRISTI  
gestis.

TOMUS III.



STOCKHOLMIAE,  
Typis OLAVI ENÆI, ANNO CHRISTI M. DCC.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
MONARCHÆ,  
D. GUSTAVO ADOLPHO,  
Sueciæ, Gothiæ ac Vandaliæ Regi, Magno  
Principi Finlandiæ, Duci Esthoniæ, Careliæque,  
& Angermanniæ Domino;

Hero mihi multis nominibus colendissimo,  
Plurimam animæ corporisque salutem!



*Agna est rerum inconstantia sub-*  
lunarum, SERENISSIME REX, & tanta quidem, ut opu-  
lentissima huic sint vicissitudini regna simul obnoxia,  
velut experientia fretus quotidiana testimonio, ille prin-  
ceps eruditioñis, Justus Lipsius, in suo de Constantia libello fatetur:  
Æterna, inquit, lex à principio dicta omni huic Mundo, nasci, dena-  
sci, oriri, aboriri: nec quidquam stabile, aut firmum Arbiter ille  
rerum esse voluit, præter ipsum. Omnia ista quæ suspicis, quæ miraris,  
vicibus suis aut pereunt, aut certè mutantur. Solem illum vides? de-  
ficit; Lunam? laborat & tabescit; Sidera? labuntur & cadunt; Quod  
si ad interitum mutationemque, magna illa corpora, & nostro sensu  
æterna, destinata sunt: quid censes oppida, resplicas, Regna?  
quæ tam mortalia esse necessum est, quam eos qui fecerunt. Ut homi-  
nibus singulis adolescentia sua, robur, senecta, mors: sic ipsis.  
Inci-  
piunt, crescunt, stant, florent: & omnia ideo, ut cadant. Tu surge, tu  
cade, tu impera, tu servi, tu occultare, tu emerge: & eat hic rerum in-  
se remeantium orbis, quam diu erit ipse Orbis.

*Idem manifestissimis probat exemplis, sequens Scandia Historia,*  
*CXXVII. comprehendens annos. Enim verò florentissimum plurimis*  
*fuit seculis regnum Norvegia; quod tamen post Haquini Regis obitum,*  
*caput inclinare occœpit, cum Sueones aliquandiu sint deinceps Norvegis*  
*dominati, & tandem à Danis iidem subjugati, minus tolerabilem ha-  
buerint conditionem. Immò licet Dania sub priorum imperio Regum,*  
*proxima ruina visa; tamen progressu temporis non modò Norvegia, sed*  
*etiam Suecia, Gothiaque regimen invasit. Quippe Rex eam Valdema-*  
*rus*

rus in pedes erexit primus labascentem, utpote qui magnam illius portionem ab Holsatis, & reliquum à Suecis, nempe Scaniam, Hallandiam & Blechingiam, insigni quâdam vafricie recuperavit. Cui Margareta succedens filia, & parenti nihil in calliditate concedens, Norvegiam in primis, & postea Sueciam occupavit, cognato suo, Duci Pomeranorum, Erico, totius Sondiae ita transmittendo dominium. Quod ipso propter tyrannidem hinc exturbato, Christopherus Bavarus, antecessoris genitus sorore, demum obtinuit.

Quanta porrò externorum sub regimine Principum fuerit calamitas Sueonum, & Norvegorum, veraci commemorat narratione istud Chronicon. Quod, ut ego propterea non sine lacrymis scripsi, ita reor vix quemquam, nisi adamantinis sit fibris compactus, illud quoque sine commiseratione, gemituque lecturum esse. Caterūm ad MAJESTATFM VESTRAM conversus, hunc Tertium Sondiae tomum Chronologiæ, multis de causis MAJESTATI VESTRÆ inscribendum censui. Quartum præcipue sunt, quod auspicio MAJESTATIS VESTRÆ, & beneficio istud inchoaverim opus, elaboraverim & publicaverim. Quodque multa VESTRÆ MAJESTATIS in me beneficia extent collata; longè tamen plura certus expectem. Accipe igitur, CLEMENTISSIME REX, quā soles fronte, videlicet serenā, hoc munus; atque datori, seu potius authori fave, ac plurimum ave; valeque quām diutissime, ac felicissime. Cursim Kajanaburgi Lapponum, XX Julii die, Anno MDCCXXII.

S<sup>x</sup>. R<sup>x</sup>. MAJESTATIS VESTRÆ

Humilis & fidelis

Servitor

JOHANNES MESSENIUS.

P R O G R A M M A.

Quàm rota fortunæ varium gyraris in orbem,  
**Q**uæ pars in celso, mox jacet ima gradu !  
Rebus in humanis, lusum colludis eundem  
Perpetuò, nulli frons tua fixa manet :  
Sic tua de regnis, simul inconstantia ludit,  
Quæ modo das, aufers mox ea sceptræ viris.  
Scanus & Hallandus Sueco, pariterque Blechingus  
Auscultant ; Danus queis prius extat herus ;  
Noricus & Sueoni submittit colla superbus ;  
Orbita fortunæ versa sed indè fuit :  
Cum sua mox Danus capiat, quoque sceptra vicissim  
Suetica ; Norvegi quin simul ille thronum.  
Gordius hic nodus boreæ tria stringitur inter  
Regnaque, quem nulli fas referare siet ;  
Lora, jugumque ferunt Sueones, & Norus abundè,  
Quæ secum Phrygibus, Gordius antè tulit ;  
Donec Alexander veniens dissolveret ense :  
Nostrî Gustaus sector & actor erat.

CHRO-



## CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ TOMUS TERTIUS.



Nno MCCCXX. Competito-

res fuerant throni Danici, Ericus, Slesvi-  
censium Princeps, Johannes, Vagriæ Comes, &  
Christopherus, Regis Erici germanus. Quorum  
hic licet patriam bis impugnasset, & vir stolido,  
inconstantique eslet ingenio, tamen reliquis prævaluit Candidatis, &  
XXV Januarii, ab Ordinibus Viburgi Rex designatus, privilegia illis  
primùm liberaliter confirmavit. Uxorem habuit Euphemiam, Bran-  
denburgi filiam, Erici, Valdemari, Ottonis, Meretæ, & Agnetæ, ge-  
nitricem.

Sed Birgerus, Rex Sueonum, imminente veris tempore, de hostium  
adventu factus certior, ex Gotlandia cum uxore liberisque, ad præfatum  
Daniæ profugit Regem; a quo, licet non admodum sibi propenso, ar-  
cem tamen consequtur Spichaborgicam, cum ditione Holbecensi. At-  
qui Sueones insulam posteà ingressi, Birgerum suos evasisse casses, in-  
dignantur. Propterea Gotlandiâ sub obedientiam revocatâ, indè re-  
gressi, Magno, sceleris paterni pœnam comminantur, actutum di-  
luendam.

Hinc Stocholmiæ judicio præsentatum, accusant ob peregrinum  
huc militem adductum; patriam ab illo vastatam; multorum cædem  
indigenarum, & contumacem Stegeburgi defensionem. Ac frustrâ re-  
spondentem, illic, Roschildiaeque vitam literis, atque juramentis, sibi  
fuisse promissam, XXI Octobris, morti illum adjudicaverunt.. Quam  
sexta exinde die, productus in S. Spiritus insulam, subiit, in cœnobio  
tumulatus Franciscano, avitum prope monumentum. Sed illius cæ-  
dem, Deus, controversiæ hujus arbiter æquissimus, non reliquit inul-  
tam. Quamvis per eandem mortem Regis Sueciæ Valdemari, & Eri-  
ci ab illo geniti, nec non Erici, Valdemarieque, Principum, visus est  
vindicasse. Quorum illam Tutor parentis, hanc verò parens Magni  
ipsem patravit.

Fimbriæ, seu Cimbriæ veteris inhabitatores, VI. Decembbris, pristi-  
nam & perpetuam spondent Regi Christophero, successoribusque, obe-  
dientiam.

Deinde anno MCCCXXI. Birgerus exul, dolore ac mœrore, propter

A

suum

suum & filii confectus infortunium, XXXI Maji, infelicem exhalavit animam, corporis sepulturam Ringstadii adipiscens.

Islandi de privilegiis ab Ingeburge, Principis Erici vidua, certificati, Magno ipsius filio præstant homagium. Sub quo florentissimus Sueciæ & Norvegiæ fuerat status, quandiu probis ille auscultaverat consultoribus.

Hâc etiam æstate, Papa Johannes ejus nominis XXII, per suum in Dania nuncium, Bernhardum à monte Valrano, Archidiaconum Ecclesiæ Bituricensis, Esgerum reducens, Christophero, sub anathematis comminatione, mandat ipsum cathedræ, & Borenholmiæ, ut restitueret. His ille consternatus, & Præsulum suasu Danicorum provocatus, XXIII Augusti, Roschildiæ in frequenti Ordinum confessu consentit postulatis. Argentum fratri promissum, Archipræsuli condonat; immunitates Ecclesiæ roborat, & amicitiam restaurat pristinam.

Anno MCCCXXII. Feriis Pentecostes, Christopherus Vordingzbergi regia Danorum cæpessit insignia, simulque filius Ericus, flagitante patre, ob senium & invaletudinem eum adjutorem. Postridie verò Archiepiscopum cædi paternæ fingens affinem, VI. millibus argenti libris mulctavit, Borenholmiam loco pignoris acceptans. Quæ Regibus Daniæ, & Præsulibus Lundiæ exstitit velut pomum eridos. Atque illam potius quam argentum, Christopherus hoc tempore affectans, non justitiæ, vel amicitiæ nuper firmatae habuit rationem.

Ibidem Ludovico, Brandenburgensium Marchioni, solum duodenni, filiam despondet Margaretam; & Rugiam, Vicislao Principi confert, jure feudali, possidendam.

Denique Antistes Upsalensium, Olaus, precibus Suecici Senatus, diu impulsus, consensu Adsefforum, funus Erici Ducis, haec tenus Stocholmiæ depositum, permisit in basilica sepeliri Upsalensi. Cui propterea vidua Erici prælustris, aureum magni precii legavit calicem. Sed Valdemari corpus Stocholmiæ remansit humatum in Ecclesia S. Nicolai. Quæ dono inde consecuta perhibetur, eximium illud, quod hodiè in archiodæo, candelabrum ostentatur.

Præpotens Novogardiæ Princeps, Georgius, Careliam recuperaturus, Viburgum, fortissimum regionis præsidium, à XII Augulti die, ad IX Septembris, acerrimè impugnavit. Spe verò frustratus victoriæ, abcessit cum dedecore. Prælargum tamen deinceps præbuit Carelia bellorum fomitem, sequenti Suecos & Moschos inter ævo.

Anno MCCCXXIII. Christopherus insuetis onerat Danos contributionibus. Comminiscens simul se nomina soluturum fratris, pignora creditoribus citra solutionem eripit; innoxios supplicio afficit, aliaque præter fas & æquum, crebrò perpetrans scelera, quorumlibet incurrit odium subditorum. Itaque regni Archipræful, Ludovicus, quondam Daniæ Marschalcus, & Canutus Porse, qui Hallandiam australē, binaque Scaniæ territoria, pro XIV millibus librarum argenti, loco habuit hypothecæ, junctis sibi fœdere nonnullis Vandaliæ Principibus, adversus perfidum insurgunt Regem, Selandiam & Scaniam devastantes. Christopherus Megapolensis captans Ducis subsidium, illi ditionem confirmat Rostochensem, & quosdam rebellium in Scania modo rigidiore mulctat.

Anno MCCCXXIV. Plexurus quoque rebellionem Archiepiscopi, Hammarhusium Borenholmiæ, in prævigilio Paschæ multo cingit exercitu. Quod nomine Præsulis, in sequentem annum strenuè defendit Ludovicus Alberti. Illum igitur Esgerus, mense Junio, ab anathemate absolvit, quod propter eandem munitionem, sub Erico Rege occupatam incurrit.

## TOMUS TERTIUS.

3

Interim Christopherus Vordingsburgi, filiam elocat Marchioni Brandenburgensium, illi XII millia librarum argenti spondens loco dotis.

Anno MCCCXXV. Esgerus, Lundiæ Antistes, XVII Januarii, fatorum sternitur violentiâ, successorem adipiscens Carolum, illic Præpositum.

Sed XII Maji, Erico Slesvicensium Duci mortuo, Valdemarus ætate minorenns, subrogatur filius. Proinde Christopherus regno ducatum machinans restituere, Valdemari tutelam sibi arrogat, & provinciam occupat. Sed Gerhardus, Holsatiæ Comes, pueri avunculus, & tutor propinquior, fraudem intelligens, sibi hostibus Regis in subsidium advocatis, Christopherum indè profligavit. Deindè Danus expugnationi totus intentus arcis Hammarshüsii, mense Augusto, illud deditum occupavit ab Albertio, fame compulso.

Anno MCCCXXVI. Christopheri tyrannidem, Dani nequaquam diutius sufferre valentes, illi per literas omnem renunciant obedientiam, novum sibi Regem designaturi. Deindè filium Christopheri, Ericum, ad se armis compescendos missum, captivant devictum. Unde rebus suis Christopherus orminò diffisus, cum regni fugit thesauro in Megapoliam.

Ordines verò Daniæ, Laurentio Jonæ, Dapifero, Ludovico Alberti, Marschalco, & Canuto Porse, antesignanis, subsidium & præsidium à Valdemaro, Slesvicensium poscentes Duce, illud octiduo secundum Pascha, impetrarunt, & Gerhardum, Holsatiæ Comitem, ipsius avunculum, Polemarcham designarunt. Is Christopheri cognoscens redditum, ipsum Vordingsborgi, & Falsterbogiæ, simulque Megapolensium Principem, obficit, ac regno excedere compellit.

Eo tempore Johannem Grand, Lundensium prius Antistitem, & nunc Bremensium, Avennione fata, XXX Maji, de mundo abripuerunt, illic in templo conditum Parthenico.

Valdemarus cum sub spe throni obtinendi esset Danis hactenus opitulatus, ipsum Nyburgi, XV Augusti, suffragio statuum unanimi consequitur, Rex illic proclamatus. Is gratiam suis vicissim promotoribus exhibiturus, Ecclesiasticis & Politicis, veteres confirmat, augetque immunitates. Gerhardo avunculo, liberisque, Jutiæ Ducatum australis, hæreditario possidendum jure, concedit; Archiepiscopo resignat Borenholmiam; Dapifero Langlandiam, Marschalco Jutiam confert borealem. Cánuto autem Porse, præter Hallandiam meridionalem, assignat Samsöe, Holbech & Kalenborgum; aliisque alias deputat regni provincias; à quibus privatim sibi consulentibus, Princeps duodennis seductus fuit, cum suomet & totius regni Daniæ detimento.

Sed hujus anni principio, Christopherus, antequam hoc civili obrueretur tumultu, nonnullos monachorum de cœnobio transtulit Sorensi ad Knardrupense, quod superiori fundaverat anno, & bonis illis donaverat, quæ ob cædem patris ad regni fiscum devoluta erant regium.

In Sueonia mortem oppetiit Ramburgis à Wijch, Israele nata, S. Birgittæ germano, Heroina illustris, & miræ fœmina præscientiæ, velut illius testatur epitaphium, quod in Ecclesiâ Upplandiæ Acherensi, tumulo est inaratum. In Norvegiâ verò, Paulus Nidrosiæ succedit Eilepho, Archiepiscopo vitâ funeto.

Anno MCCCXXVII. Prænobilis heros Canutus Porse, Hallandus natione, in Sueciâ & Daniâ ad multam evectus potentiam, opulentiamque, occipit ambire Ingeburgem, Erici Sueonum quondam Ducis, viudam. Illâ verò se non potitum, probè intelligens, nisi Ducalia in primis consequeretur insignia, non difficulter à Valdemaro ea rege impetravit; & mense Junio, nuptias celebravit. Utriusque sic evadens Dominus

## CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ

4

Hallandiæ. Quando etiam Halmstadio, uni oppidorum in illa, privilegium, & jus impertivit municipale.

Magnus, Sueciæ & Norvegiæ Rex, huic connubio matris frustrâ relatus, illi Axvaldum, pro bonis à parente vitalitiis deputatum, armis eripit; Et Hunehalsium sequenti conatus anno expugnare, bello invisum aliquandiu infestat vitricum.

Verum Christopherus interea cum Johanne Vagriæ, in gratiam rediit, Comite, fratre suo uterino, & ipsius ope confidit throno se restitutum iri. Quo tempore Ericus, quoque Valdemari Sueonum Regis nothus ex Jutha, in Daniam profectus, præter alios in Scania, Selandia & Jutiâ fundos amplissimos, Trelleburgum, Malmogiamque, quæ parenti olim cum Sophia matertera in dotem cessissent, per juris sententiam Nyburgi prolatam, recuperavit. Uxorem vero postea duxit Ericus, Ceciliam, Canuti Jonsonii, in Suecia Proregis filiam; ex illâ filium consequens, Valdemarum, Christierni Brodersonii à Kerr Hallandiæ, generum, & tritavum, Gustavi II. Sueonum Regis. Porro insignia Valdemarsoniorum erant, tres leones; Et mortuo Erico Cecilia, alterum cum Boëtio Nicolavio inivit matrimonium.

Anno MCCCXXVIII, Aprilis IV. die, ignis elegantissimam Nidrosiensium populatus est basilicam. In Sueciâ verò postrema contributionis sexennialis instituta est collectio, Viennæ pridem imposta; Et de solâ Ostrogothiæ dicecesi III. millia DCC & XC. marcae denariorum contributæ. Indeque quantum à reliquis collectum sit, licet conjecturari.

Sed in Dania tutor Regis novi, Comes Gerhardus, modicam poscens à Selandis contributionem, illos ad arma permovit capeſſenda. Quos XIV. Septembris, aggressus, insigni affixit clade ad pontem Tyflunensem. Hæc rebellio Christophero extorri non displicuit, qui hactenus de suo questus exilio, coram multis orbis Christiani Principibus, non paucos illorum ad commiserationem permovit; etiam Cæſarem ipsum, qui Valdemarum ipsius filium suscepit educandum. Ne minus interim quosdam Danorum sibi studet clanculum reconciliare, illis spondens emendationem, veniamque rebellionis. Unde non pauci Præfulum, Procerumque, qui patriæ miserti Theutonum expositæ rapinis, Christophero auxilium pollicentur. Proinde ille plurimum recreatus, militem undequaque, & belli nervum, contrahit, adiutus potissimum à Megapolensium, & Vitenbergensium Comitibus, Dominis à Verle, atque fratre Johanne, qui XXX Novembris, XX millia librarum argenti, Christophero mutuavit, Lollandiam, Falstriamque in pignus suscipiens.

Anno MCCCXXIX. Christopherus in Daniam regressus, promissum consequitur subsidium; Lollandiam, Falstriam, & Selandiam, in primis deditas recuperat. Quas sequens Jutia, Regis filium Haderslebiæ detentum, ex custodiâ liberat Ericum. Sed haud diu Christopherus, tanto fruitur rerum successu, qui fraude Johannis fratris, Hafniam sibi vendicantis, tantoper offenditur, ut de tam prosperâ belli fortunâ deserendâ cogitarit.

Hinc Comites Verlenses, Christopheri commilitones, hæreditarios in Daniâ fundos, à Canuto, illorum injusto possessore, sibi traditum iri dubitanter, missis ad Magnum, Sueciæ, Norvegiæque Regem legatis, cum ipso pangunt Stocholmiæ fœdus, mense Augusto, in Canutum, hostem communem. Cui anno priori Magnus jam eripuerat Hunehalsium. Unde prænobilis vir, Gustavus Sture, captivus abductus fuerat, nomine Canuti, fruſtrâ illud propugnans.

Interim Christopherus, suauis fautorum in gratiam rediens cum fratre, illi pro obsequiis, Fimbriam, in feudum concedit hæreditarium. Et donec mutuum reciperet argentum, effet Lollandiam, Falstriam, Scaniam, & Se-

lan-

## TOMUS TERTIUS.

5

Ilandiam in pignus Johannes habiturus. Illo deinde sequestro, Christopherus reconciliatur Comiti Gerhardo, & Canuto Porse, ipsis occupatas regni provincias, sub pignoris jure permittens, citra tamen Dominorum Verlensium, & hæredum Ludovici, detrimentum. Cum his proinde Comes Johannes, de Scaniâ protinus transegit, qui præcipuas Daniæ possedit regiones, Christophero cum suis modicum de regno retinente.

Quocirca Proceres patriæ amantiores, tam indignâ provinciarum conspectâ distractione, XXI Septembris, Christopherum impellunt ad spondendum pro se ac successoribus, quod Estoniam nullo unquam tempore, à Danorum essent alienaturi jurisdictione. Quibus literis simul facultatem indulget virginibus Estoniæ, capeſſendi hæreditatem à morte parentum, quæ ipsis hactenus nulla fuit concessa. Interim Gerhardus Comes, amico gratificaturus Christophero, Tychoni, Borglamensium Antiftiti, Regis adversario, vincula injicit. Ideoque per dioecesin fī aennio à sacrorum publicâ cessatum fuit operatione.

Hoc demum anno in Islandiam, sub Laurentio Holensium illic Episcopo, musicum invehitur organum.

Anno MCCCXXX. Christopherus æmulorum invigilans clām exterminationi, Ordines Jutiæ borealis in Valdemarum instigat, ut ipso sublato, Gerhardum commodius tollerent. Illis proinde stipatus, Gottorpium impugnat. Sed Valdemarus, avunculi nixus subsidio, hosti congressus, vitoriam obtinet, CD. Danos indè captivos abducens.

Ripæ autem deinceps Christopherus adversarios conveniens, illâ pacem mercatur conditione, quod Gerhardo, hæredibusque, largitus sit Fioniam, insuper Juthiam posſeffuris borealem, quoad ipsis Dani XL millia librarum argenti persolverent. Quando etiam suauem avunculi, & Comitis Vagriensis, Valdemarus se regio apud Danos munere abdicavit, suo impostorum fruiturus ducatu. Quem, illo fine liberis mortuo, Gerhardus effet aditus, Fioniâ Danis restitutâ.

Circa festivitatem Christi ad cœlos ascendentis, Stockholmia Sueonum regia, cum suâ concrematur acropoli. Atqui feriis missi Paracleti, opulentissimus ille Dux Canutus Porse, mundo valedixit, binis superstitibus filiis, Haquino & Canuto, ex Ingeburge suscep̄tis. Quæ Hallandiam, Holbechium, Samsöe, Kalenburgumque, deinceps ut prius usurpavit.

Euphemia vero, Christopheri consors, XXVI Julii, vitæ clauserat orbitam, Soræ requiescens.

Johannes porrò Vagriæ Comes, Lollandos sibi propensiōres redditurus, illius Clerum à quibuslibet absolvit exactionibus; liberam testamenta condendi facit posttetatem. Eundem & servitores, colonosque ad forum remittit ecclesiasticum cum suis adversariis; ac demum ab expeditionibus liberat militaribus. Quivis vicissim Presbyter Lollandiæ, pro sua & parentum animabus, quater annuatim sacris operaturus effet.

Anno MCCCXXXI. Carolus Scaniæ Præſul, suis in Consistorio Assessoribus nonnulla largiens prædia, illos obligat ad celebrandum in Lundensi annuatim Ecclesiâ, festum corporis Christi, & diem conceptæ in utero Deiparæ, follenniaque Matthei Apostoli.

Monachi de Ordine Minorum, Scaræ in Vestrogothiâ magno congregati numero, religionis suæ deliberant reformationem.

In Daniâ vetus recruduit discordia; siquidem Christopherus, Johanni fratri, arma in Gerhardum Comitem paranti, opitulatus, in viâ opprimitur à Gerhardo, adversarii conjunctionem exercitus consultò præveniente. Qui Johannem deinceps non formidans, Rege profligato, Daniæ imperium ille, & Valdemarus denuò invaserunt. Hæc vero contigit Gerhardo

viætoria, XXX Novembris. Sed Erico, Christopheri filio, yulnus accidit lethale, & alteri captivitas, Ottoñi.

Anno MCCCXXXII, mense Januario, Gerhardus eâ reconciliatur Dano conditione, quod Jutiam possessurus esset septentrionalem, donec illi vel hæredibus Dani centum millia librarum puri argenti, numerarent, idque propter pacis transgressionem, & sumptus bellici compensacionem, accessit summæ priori auctarium, regiæ expensum inconstantiae referendum.

Ab hoc digressus colloquio Ericus, cum Ottone germano, nunc libertati restituto, post paululum ex valetudinis detimento nuper accepto, demoritur, Ringstadii tumulum adipiscens.

Ingemuerunt verò Dani miserabiliter, sub intolerabili Holsatorum jugo, & præsertim Scani, ab Officialibus, Comitis Johannis, crudeliter onerati. Proindecum auxilium Christopheri, nequicquam diu implorassent, utpote ne quidem se ipsum protegere valentis, ipsimet correptis armis, Hollatos invadunt, multam illorum cladem passim edentes. Sed hoc tyrannos modo sibi magis videntes infestos, per oratores, opem Magni Sueonum & Noricorum Monarchæ, humiliter flagitarunt, illi vicissim subjectionem pollicentes fidelissimam, & lytri postulantes condonationem, pro CCC numerandi captivis.

Magnus negotio cum Sueonum senatu probè deliberato, Scanis diem Calmarniæ dicit, & illuc nomine Ordinum Scanicorum, Carolo Archiepiscopo, Præposito, Decano, & nonnullis Proceribus cum plenâ venientibus potestate, subjectionisque porrigentibus literas, spondet protectionem; pristinas illis immunitates, leges ac consuetudines simul permisuras. Hoc autem perculsi nuncio Holsati, ex Scaniâ certatim diffugiunt, & Comes ipsem de his factus certior, Magni non audet se potentiae objicere, mox se paratum declarans ad Scaniæ, Blechingiæ, Listriæ ac Huetiæ, resignationem, mutuo inprimis recepto.

Itaque Magnus, quam anceps foret belli alea considerans, ex conilio Sueonum, harum consentit ditionum redemptioni, Ecclesiasticarum portione quadam decimarum eidem applicatâ, & XXXIV mille libras argenti, certis promittit terminis pendendas; ac literis obsidibusque, quos inter fuit Israël, S. Birgittæ germanus, cavet. Deinde Johannes documenta super his sibi tradita ditionibus Magno assignat; arces & regiones resignat, ac Lundiam Magnus profectus, Ecclesiasticis & Politicis, mense Junio, jura & privilegia non parum aucta confirmat, lytrum Scaniæ captivis, XXI argenti libris constans, perdonat; arcemque redimit Hafniensem, à Conrado von Plessen, pro VII mille argenti libris. Quo summa transcendit computi, ad LXII millia, à nostratisbus fideliter persoluta.

Anno MCCCXXXIII. XV Martii, Olaus Upsalensium Archipræful, de hâc vitæ migravit statione, qui Tunensem & Arnöensem, fabricavit lapideas eleganter domos. Haec verò successor, Petrus Philippi, de choro assumptus Sigtunensium monachorum, templo decoravit.

Atqui Christopherus, Danorum Rex, paucis stipatus satellitibus, Saxcopiam Lollandiæ proficiscitur, ubi à binis Holsatiæ viris nobilibus, hoc facinore gratificaturis Comiti Gerhardo, captivatus, in castro Aleholmensi træditur custodiae. Illius autem misertus Johannes frater, arcis dominus, jubet inde liberandum, qui Nykopiam Falstriæ solitus secedens, illic, XV Julii, infaustam exhalavit animam, à Sorenibus sepulchro illatus monachis, regno Danorum in maximâ relicto tribulatione; quod etiam Holsati deinceps per septennium, sub statu anarchiæ crudeliter sanè affixerunt.

Con-

## TOMUS TERTIUS.

7

Conditio interim Scanorum sub Rege fuit Magno felicissima , quibus cum moratus ad brumæ initium , omnia Reipub. prudenter disponit negotia , & XII Novembris , viduæ Ludovici Marschalci , necdum sibi à Comite satisfactum querenti , VIII millia librarum argenti ordinat numeranda , tantundem de summa Johanni solvenda , dubio procul , subtrahens .

Anno MCCCXXXIV. Magnus pro consuetudine Sueoniam lustrans , apud Vestrogothos , legem vendendi amplius mancipia Christiana , penitus abrogavit , & Sudermannis peculiare legis volumen assignavit .

Dux verò Jutiæ , Valdemarus , regio Daniæ titulo repetito , suum in illa firmat imperium , Ottone & Valdemaro , Christopheri filiis , indè exclusis . Nec eidem Gerhardus , ac Johannes Comites , indormiunt negotio , Daniam Holfaticæ omnino subjecere machinantes servituti .

Ast Carolus , Lundensium Antistes , postquam suam à tyrannide Holsatorum liberasset diœcesin , sub Magni respirantem dominio , lubentius mortem oppetiit , XVI Maji , & Petrus cathedralm alacrior adiit Scanensem .

Anno MCCCXXXV. Matthias Ketelmundi , tutor Regius , cum aliis Sueciæ , Norvegiæ , & Scaniæ Optimatibus , de uxore Magno providendâ , sollicitus , illi sponsam obtinet , Nemurcensem , in Franciâ Comitis filiam , Blancam nomine , virginem , formæ conspicuam elegantiâ , nuptiis hoc anno , quâ esset par dignitate , celebratis . Quandò Albertus , Magnipolensis Princeps , sibi Euphemiam , Magni desponsavit sororem .

Anno MCCCXXXVI. Euphemia regio perducta comitatu Rostochium , Alberto illic copulatur , quem Ericus , Saxoniæ Dux , ibidem baltheo cinxerat equestri . Hoc autem illustri matrimonio , genus traxere potentissimi Scondiæ Reges , Albertus , Ericus , Christopherus , Christiernus I , Johannes , Christiernus II , Fridericus I , Christianus III , Ericus , Fridericus II , Sigismundus , Christianus IV , & Gustavus II , qui hodiè gubernaculo Sueciæ , Daniæ , & Norvegiæ , assident gloriose .

Intereâ Magnus , inaugurationis suæ domi apparat sollennia , ad illaque neonupti honorifice invitati , Rostochio velificant Stockholmiam Sueciæ versus . Quibus Regina , splendidis vecta paronibus , liburnisque , in maris occurrit fauibus , & Rex in portu fit obvius arcensi . Deinde coronationis instituta festivitas , in quâ Engelbertus , Derpatensium Episcopus , quædam alia propter negotia , hic pro tempore præsens , ex speciali Præsulum gratiâ Suecicorum , diademata Magno , & Blancæ , imposuit .

Itaque gratiam Magnus , pro tanto rerum successu exhibitus Deo , vastam urbis Stocholmensis turrim australē , cum propinquâ in circuitu areâ , monachis S. Dominici , pro fundando illic cœnobio , legavit , istud suis fabricans impensis . In hujus autem fuit postea sepultus Ecclesiâ , B. Matthias , qui S. Birgittæ aliquandiu auscultavit exomologesin ; illius apocalypsin illustravit ; ab ipsa rogatus sacrum Bibliorum codicem , Suetico donavit idiomate , amplissimisque entucleavit latinè commentariis .

Hoc etiam anno , primas hujus lucis aspergit auras , S. Catharina Ulphonis Guðmari , & D. Birgittæ , filia , quæ nubilem ingressa ætatem , desponsatur generoso viro , Echardo ab Kirnen , natione Germano .

In Dania hujus Archiepiscopus , inexplebili Holsatorum provocatus avaritiâ , tyrannideque , in synodo renovat Hæfniensi , & denuò publicat constitutiones Antecessorum , sacris interdicens bonorum depeculatoribus Ecclesiaстicorum ; rerum contemeratoribus sacrarum ; Cleri Prælatos

latos captivantibus, seu vulnerantibus, insuper determinans, quantum subsidii, Præfulum alicui extorri essent reliqui Antistitum laturi.

Anno MCCCXXXVII. Gerhardus Comes subverens Jutorum rebellionem, ob facrorum tot annis silentium, XXI Februarii, Tychonem, Borglamensium Præfulem, de carceribus producit, & intermissa resonant officia Divina. Quando Petrus, Sueciæ Archiepiscopus, pluris faciens cucullum Sigtunensem, quam infulam Upsalensem, officio se abdicavit, quod Hemingus, Arosiensis Præpositus, suscepit lubentius.

Illustris Sueciæ ac Norvegiæ Regina, Blanca, Ericum enixa primogenitum, non mediocre nostratis attulit gaudium. Sed e contrâ obitus prudentissimi herois Matthiæ Ketelmundi, qui hunc in annum incidit, infandam iisdem conciliavit tristitiam. Quandoquidem Sueonum Respublica haec tenus Matthiæ humeris innitendo florentissima, deinceps ruinam cœperit minari, cum Magnus, seniorum spreto consilio, juniorum sequeretur de iria.

Otto Christopheri filius, mediocri ex Danis & Germanis stipatus exercitu, Gerhardum regno exuere meditatur, à quo tamen in conflitu superatus, abducitur captivus.

Ad littus Islandiæ ex minore balenarum genere, uno appulerunt impetu MDCC.

Anno MCCCXXXVIII. In Norvegiâ gigas XV cubitorum, à viris IV trucidatur, ita sensim prodigiosa gigantum progenies in Scondiâ aboletur.

Haquinus alter Magni filius nascitur, & in Norvegia, velut proximus illius hæres, educatur, ac IV deinde filias solum Blanca genuisse perhibetur. Norvegiæ autem Archiepiscopatu nunc quidam Arno potitus censetur.

Anno MCCCXXXIX. Incendium famosi montis Heclæ, multis accolas afficit detrimentis, ut etiam post biennium.

Insignis Ottoniensium Antistes, Petrus Pag, mense obiit Decembri, qui primus imaginem S. Canuti Regis, pro Ecclesiæ suæ insignibus, cum hâc usurpavit inscriptione: REX CANUTE DEI, QUÆSO MEMENTO MEI.

Anno MCCCXL. Valdemarus, Slesvicensium Princeps, suggestione avunculi, & propriâ instigatus ambitione, ad capessendam Daniæ properravit coronam, Christopheri non amplius formidans liberos, quorum primogenitus, Ericus, vitâ esset functus; Otto in carcere detentus, & Valdemarus in aula degens Imperatoris, regnum per fortunam non auderet affectare tenuorem.

Magnus, Sueciæ, Norvegiæque Monarcha, XXIII Februarii, Patribus Upsalensium, sub speciale admisis protectionem, servitorum mulctas delinquentium, in flagranti tamen non comprehensorum crimine, nec vitæ, aut membra amissione plectendorum, pro fabrica basilicæ impertivit. Eandem quoque extendit facultatem, ad LX illius operarios; ita tamen, quod adversariis satisfacturi essent.

Sed principio Februarii, Gerhardus, Valdemari ad thronum invigilans promotioni, ut sibi vicissim promissus cederet Slesvicensis ducatus, arctoam permittit Candidato Jutiam, sub regnum pro XLIII librarum argenti millibus redimendam. Proceres autem Jutiæ, imperium utriusque detrectantes, & cum reliquis Danorum, tacite Valdemarum, Christopheri filium, revocare meditantes, Gerhardo se audacter opponunt. Qui rebelles armis domiturus, provinciam ingreditur, & cognoscens unus Optimatum, Nicolaus Ebonis, ipsum ab exercitu digressum, cum paucis Randersii pernoctare, illic IV ante Paschæ follennia hebdomadis, eum noctu trucidavit.

## TOMUS TERTIUS.

9

Inde Slesvicensium nihil omnino metuentes Principem, Dani, Valdemaro Christopheri filio, thronum deferunt. Qui patrocinio Cælaris, Marchionis Brandenburgensis, & Ducis Pommeraniae; Spanhemiae in primis, & deinde Lubeci, mense Mayo, cum Slesvicensi, ac Henrico, Claudioque, Gerhardi filiis, sic litem transegit, quod sceptro Daniæ potitus, Valdemari sororem ducturus esset Hedvigem; dotem XXIV mille argenti libras habituram, & Jutiam, à Comitibus, pro XXXV, ast Fioniam, pro XLI millibus, esset redempturus, fraterque Otto, carceres evasurus.

Ita Valdemarus, amicorum ope restitutus patriæ, concordi Ordinum suffragio Rex proclamatur. In quem etiam propendere Scanos, à Danis persuasos, animadvertisens Magnus, ut illorum sibi magis obstringeret animos, Helsingburgi, XXVIII Junii, novis ipsis decorat privilegiis, veteribus etiam roboratis. Siquidem Clerum à qualibet eximit contributione; illi mulctas ex lege servitoribus, colonisque, impositas concedit; nihil reliquis Scanorum citra Procerum consensum, injunget gravaminum; ad forum Sueciæ neminem indè citandum; non nisi convictum prius legitimè, captivandum spondet; pro defensione militarent patriæ impensis propriis, alibi Regiis; & nobiles de suis levarent subditis mulctas quaslibet, omnesque ob suam indemnes conservaturus designationem foret. Huic verò diplomati Magnus, & Blanca, cum XII subscripti Consiliariis, titulo Sueciæ, Norvegiæ, Vandaliae, & Gothiæ, usurpato.

Atqui Senatorum fuerat unus, prælustris vir Ulpho Gudmari, Folchungorum contributus, & S. Birgittæ maritus, qui spretâ mundi vanitate, ut liberius Deo vacaret, solitariam cum uxore agit vitam, in cœnobio Alvastrensi, ubi multis fertur illa visionibus & prophetiis inclaruisse.

Anno MCCCXLI. Ut fideliores etiam sibi Valdemarus redderet Danos, ad obsequiaque promptiores, Roschildiæ, VI Januarii, quaslibet parenti, fratribus & sibimet illatas hactenus condonat fontibus injurias. Indè verò Helsingburgum contendens, cum Holsatiæ Comitibus, sibi denuò suboffensis, sequestro Rege Magno, reconciliatur, ipsis spondens hæreditariam fore Fioniam, si absque hæredibus moreretur.

Verum amita Valdemari, Mereta, Birgeri Regis consors, X Martii, in fata concedens, Ringstadiano, prope maritum, clauditur monumento. Quibus etiam ablatus Præful quondam Upsalensem, Petrus, conditur Sigtoniæ, & Hemingus, dudum illi subrogatus est, domicilium Upsaliæ, de lateribus sibi & successoribus fabricavit, hodiè ruinis defœdatum.

Sub hoc pariter mundi curriculo, dubiæ inquisitio veritatis, per ferri gestationem carentis, in Scondia abrogatur, ubi viguisset ab anno Christi, DCCCCLXXXVI, non citra periculosa Numinis temptationem.

Interea Valdemarus, ut erat ingenio vaferimus, per fas, nefasque ditiones, peregrinis oppignoratas Principibus, eripere conatur. Illarum verò prætendens redemptionem, & intendens impugnationem, de qualibet regni Ecclesiâ, calicem cum patena utrum est mutuavit. Deinde Ingeburgem, Canuti Ducis viduam, Kalenburgum, pignus mariti legitimum, circa refusionem mutui, resignare abnuentem aggressus, castrum obsidet. Sed Jutiae Dux, Comites Holsatiæ, & civitates Vandalorum, illi quantocum ex fœdere subsidium ferentes, regias indè copias profligant, binis Danorum millibus ibidem, mense Junio, occubentibus. Itaque Valdemarus, suis diffidens fraudibus, inducis & dolosis protrahit rem conventibus, discordiam in tempus sibi magis opportunum.

Olaus, Nidrosiæ post mortem Arnonis, capessit insulam, & Abogiæ, S. Hemingus, Benedicto succedit in cathedra, qui VIII Septembris, unâ cum

Rege Magno, quantum Bothniæ orientalis incolæ decimarum, de annuis soluturi essent proventibus, determinaverat.

Anno MCCCXLII. principio jejunii Paschalis, Magnus in comitiis Ordinum Scheningensibus, regna filios inter partitus, Erico Sueciam quinquenni, & Haquino Norvegiam quadrienni, attribuit, illas post suum, non prius, adituriis obitum.

In cineralibus ibidem feriis, Magnus pro Dei, & B. Sigfridi honore, Vexionensibus civitatis jus, & fori, quolibet die lunæ, celebrandi concessit, inhibens sub confiscatione empti & venditi, ac insuper mulctâ XL marcarum, quarum XX Ecclesiæ forent applicandæ fabricæ, & XX Episcopo deputandæ essent, nè Smalandi negotiarentur alibi, mandansque obvagantibus Smalandiam mechanicis, Vexioniam, cis XXX Septembbris, commigare ac inhabitare.

Verùm uno ante Pascha mense, Magnus Jenecopiæ constitutus, Clero per diœcesin annuit Upsalensem, ab omni regiâ immunitatem exactione.

Ast moniales Vestrogothiæ Gudhemenses, ob lignorum inopiam, & hospitum copiam, nimis frequentem, à Cistertiensi obtinent veniam Abbate, Gudhemio ad Raccheby, ab Erico & Valdemaro Ducibus olim donatum, migrandi.

Corporis Christi festo S. Hemingus, Abogensium Præsul, Sigfrido mandat Alандiæ Præposito, contumaces decimarum raptores, anathematis vibratione compescere.

In Dania pendente adhuc lite, Valdemarum & Holsatos, confederatosque inter, Nicolaus Ebonis, instinctu Regis, Holsatos propugnaculum molientes limitaneum incessit. Ideoque Henricus Comes, & ob cædem parentis nefariam, ipsum infuscatus cecidit. Passim etiam Castellanos Regis, & Comitum inter, velitatur; præcipue verò in Selandia, cui præsens & subsequens nimium funesti extiterant anni.

Magnus quoque Valdemarum Scaniæ, non dubiis prospiciens conjecturis, insidiari, cum Holsatis & Vandalicis pepigit fœdus negotiatoribus, cuius vigore tulit hoc anno subsidium Marquardo, Vordingburgensi Castellano, in Selandiam copias expediens, ductoribus Halvardo Pilt, & Magno Achatii, illic occisis. Quocircà Valdemarus, tām potentibus marte congredi aperto diutiùs æmulis, non consultum existimans, antequam hujus ligæ socios ad se nonnullos pertraxisset, Holsatos pactis mitigat, & Suecum ad veterem provocat subdolè amicitiam.

Anno MCCCXLIII. XII post Pascha diebus, Valdemarus argento Johanni Comiti persoluto, Nykopiam cum Falstria recuperavit. Atqui citra solutionem, à patruo Selandiam repetens, Danos & Holsatos in mutuam instigavit crudeliter internectionem, adeò quod clade suorum nuperā Dani excandescentes, CCC hostium unâ nocte peremerint. Holsati vicissim, nè Clero quidem parcentes, Suenonem, Arhusiæ Præsulē, abripiunt, cum aliis captivum. Ideoque divina obmutuere aliquandiu illic officia.

His autem submersus malis, Valdemarus, & novas insuper procellas ex Sueonia, Norvegiaque, perhorrescens, ob Scaniam nullo repetitam jure, obsecrat, ut lis per XII utrinque arbitros, Helsingburgi, primum ventilaretur, & consensu Magni obtento, Judices post mutuam illic corrixationem, indecisam differunt controversiam, usque Novembrem, quando Reges Varbergi præsententes, illam forent ipsimet decisuri.

Interea Magnus, bona uxoris vitalitia, nimium suis dispersa regnis con-

considerans, postridie Pentecostes, Bohusii, assensu Senatus, donationem renovat, illi deputando in Norvegia, Marstrandiam; Borge & Elfversfeliam; Romrichiam, cum territorio Vortensium.

Bohusio deinceps Varbergum profectus, consequitur literas Senatus Norvegici, quibus XV Augusti, Haquinum sibi approbaret successorem.

Nicolaus, Fioniæ Antistes, erecto S. Francisci Ottoniæ cœnobio, impertit benedictionem; Knardrupense etiam monasterium aliquandiu profanatum, refecratur, novos de Sora colonos adipiscens.

Denique condicto Varbergi tempore Reges congressi, utriusque Senatu comitante, post altercationem de Scania non modicam, Valdemarus argumentis, & documentis superatus, XVIII Novembris, palam approbat Magni designationem, velut legitimè à Scanis factam; literis, illi super Scania, Blechingia, Listria, & Huenensium, traditis insula subscribens, ac perceptis VIII millibus librarum argenti, prioribus adjiciens provinciis Hallandiam, & limitem Sueciæ ac Daniæ ita constituens in medio freti Oeresundensis vel porthmo. Sin verò his contraveniret sanctionibus ipse, vel successorum aliquis, XXX mille argenti libris prævaricator esset multandus; contumax anathemate compellendus; à XXIV suis impugnandus sponsoribus, jurisdictionem Sueonum asserturis; Nec ullus in Daniâ Rex coronandus esset, nisi prius horum sponderet observationem, quòd libero illa Ordinum Danicorum consensu, Valdemarie essent obsignata.

Magnus e contrâ pacem, & amicitiam spondet suis Valdemaro literis; subsidium in hostes, & Danis liberam in Suecia Norvegiaque negotiationem. His Reges inter consummatis, Scani Magno novâ se obstrinquent eodem die obedientiâ, quam Erico secundum parentis obitum exhibuti etiam forent. Sed Magno vel filiis, nullos linquentibus hæredes, Scanis pro arbitrio Dominum sibi providere liceret, quod Sueonibus illo simili ter casu esset permittendum.

Ita securus regreditur inde Valdemarus, totis Holsatos viribus, ope Magni jam destitutos, & eâ ille adjutus, decernens impugnare. Quocircà XXVII Decembris, movit pleno in hostes agmine. Verum sperato defraudatus successu, receptui canit, milite in hybernis aliquandiu pausante, ac commodiorem rei gerendæ occasionem præstolante.

Anno MCCCXLIV. Ingeburgis in gratiam filii Magni, satisfactione perceptâ, Valdemaro Calenburgum restituit, utramque retinens Hallandiam. Quam Sueonum inclusisset limite nuper Valdemarus, quòd Comes Jacobus borealem sibi jure vendicasset, & alienasset, paterque Christophe-rus, australē Canuto Duci oppignorasset,

Sed Magni Regis cognatus, Ulpho Gudmarsonius, Eques & Confiliarius Sueciæ, XII Februarii, in cœnobio moritur, sepeliturque Alvastrenum, octo relinquens in mundo liberos, ex S. Birgitta susceptos. Quæ vidua permanens, regii magistrâ gynæcei aliquandiu existit, aulicos vitæ solutoris ad pœnitentiam exhortando, & ipsum præcipue Regem. Etenim cùm is XXVI hactenus annis Deo, hominibusque gratior regnasset, imposterūm blandiente nimium seductus fortunâ, eminùs à virtutis exorbitavit tramite, ad quem S. Birgitta illum frustrâ conatur reducere.

Magnus ejus contemnens vaticinia, perinde ac somnia anilia, non tamen impunè suis indulget illecebris. Cujus mandato plebecula Sueciæ Junio, & Norvegiæ populus Julio, mensibus, filiorum subscribunt nuperæ designationi, abnuentes Erico subsidium, si fratrem Norvegiâ, & Haquino, si Ericum Sueoniâ exuere conarentur. Hâc verò elatus cœcâ mortaliū provisione, nec sibi nec filiis, quod deinceps acciderat infortunium, impedire stolidus metuebat.

In synodo Telgæ provinciali , hac instituta æstate, in usurarios , ille tamen rigidum publicat mandatum , à Præsulibus regni ad id permotus. Quando etiam Lubecensium inclinatus precibus , Trelleburgi Calendis Septembris, eandem quam pater ipsis, & Valdemarus patruus, ante XXXII indulcissent annos , per Nynam securè Novogardiam ultrò citroque navigandi , naufragaque bona indagandi , velut quoque in toto Sueonum regno negotiandi, concessit facultatem.

Atqui Danus pacem cum Sueco adeptus, bellum in Holsatos continuat , & de victoria desperans, XXVIII Augusti, cum illis transigit, sequester futurus, si quæ discordia illos & Magnum inter suboriretur. Ast Dux Valdemarus arbiter cuiuslibet adhibendus esset litis, quæ Dano cum Holsatis posset obtingere. Deinde Frisones , XIV annis tributa Danis abnuentes , XX Octobris , crudeliter subegit , & interim Holsati ex pactis, Suenonem Arhusiensium donant libertate Antistitem , Arhusiaque sacris restituitur , quibus annum esset orbata.

Anno MCCCXLV. Valdemarus Slesvicenium Princeps, cum sororio Danorum Rege , pangit in hostes fœdus , cuius etiam tutelæ uxorem , & liberos à sua morte, decernit committendos. Hinc sibi metuentes Holsati , à pactis discedunt , Selandiam infestando , & Dani , hostibus eruptas , demoliuntur munitiones.

Antistites quoque Daniæ , Valdemari fidem habentes suspectam , in Helsingburgensi statuunt Concilio , quod uni suorum capto , vel patriâ ejecto , reliqui annuatim CXX libras argenti pro subsidio , donec liberaretur , contribuerent , regno interim à sacris publicis feriante. Verum Magnus Aslogiæ in Norvegiâ commorans , Præsuli apud Islandos Holensi , insignia donat privilegia.

Anno MCCCXLVI. Claudius & Henricus, Holsatorum Comites , ob fœdus cum Rege initum , captivarunt in venatione Ducem Valdemarum , qui Nyburgi in alterum detentus annum, dimititur, fœdere cum Danis abrenunciato. Lollandiam itaque simulans Rex Valdemarus , à patruo Johanne Comite , pecuniis se redempturum , Holsatos hâc securos fraude redditos , protinus armis invadit, & ni quantocyūs suis Comes Johannes venisset subsidio, illosque inde profligasset. Proinde dolis supersedens , XXIV Augusti, Vordingburgum, Sueco mediatore, pro VIII mille argenti libris à patruo recuperavit.

Multiplicem verò perfidiam , & perjuria Valdemarus expiaturus, votivæ Jerosolymam se accingit profectio , comite Saxonum Principe , Erico. Atque Livoniam in primis accedens , plurimis Ecclesi am cumulat beneficiis Revalensem , obligatam eapropter ad propitiandum illi Deum sacrificiis annuis. Inde Prussiam ingressus , Estoniam , Ordinis Magistro vendidit contra paternam obligationem , pro XVIII millibus librarum argenti , ex quibus dotem sororis Marchioni numeraret Brandenburgensium , residuum pro viatico sibi conservans.

Anno MCCCXLVII. Valdemarus , Ottone Germano Crucigerorum Ordini mancipato , ad sanctum properavit Domini sepulchrum , coram quo , XXII Julii, cingulo donatur militari. Deinde aliis in Judæa sacris religiose simul visitatis , patriam versus remeavit , cœlumque non animum pauper commutavit.

Coram regiis Orebrogiæ legum Sueticarum revisoribus , Ulphone Ambergi Uplandiæ; Algoto Benedicti , Vestrogothiæ , & Torgero , Vermeundiæ , Legiferis , Episcoporum comparentes procuratores , XX Februarii , & VIII Martii , solenni carent protestatione , nè hujusmodi cederet revisio , mutatioque codicis antiqui , in præjudicium aliquod juri Ecclesiæ scripto , vel

## TOMUS TERTIUS.

13

vel statutis synodalibus, aut Pontificum, seu Regum privilegiis, vel priscis patriæ consuetudinibus.

Ad crucem Dominicam in Ecclesiâ Upplandiæ, Næs, miraculis famosam, insignes fiebant oblationes, quarum Ecclesiæ unam, parocho alteram, & tertiam Archiepiscopo portionem deputandam, VI Martii, Præfus Hemingus illic ordinavit.

Idem quoque Antistes Hemingus, deprehendens illas magni valoris oblationes, quæ in Ordinum conventibus, coram Rege, Præfubus, & Proceribus aræ imponerentur, cùm aliquis Episcoporum sacris operaretur, à regiis nullo jure percipi facellanis universas, Stocholmiæ, XXVI Julii, quandò, & quantum illis, suis & celebrantis, de hoc imposterū dono cedere deberet facellanis, parochoque, operâ Thomæ Vexionensium Episcopi, determinavit.

In his verò Stocholmiæ comitiis, Magno bellum in Russos, pro illorum conversione, ac castri recuperatione Noteburgensis, paranti, plurimo ex Germania milite comparato, in maximum patriæ gravamen, quorum duxor per celebris ille Comes Holsatiæ Henricus deputatus, suadet palam S. Birgitta, divinitus commonita, ut indigenis hac expeditione in hostem, non alienigenis, cum tanto regni sui detimento, uteretur, alias plus amissurus quam esset lucraturus.

Sed Magnus ludibrio illam excipiens, magis Henrico quam Deo sisus, insuetis regnum exhaustum tributis, & insuper Petrinum ex illo denarium huic applicat expeditioni, utpote in schismaticos dirigendæ, tandemque Germanis, & Suecis, succinctus, appetente navigat autumno, classe instructissimâ in Finlandiam. Cùm verò illius Antistes, vir sanctitate insignis, B. Hemingus, incolarum lamentantium misertus, Regis quoque obniteretur tyrannidi, ab illo conjicitur in vincula, & copiæ hostico appropinquant.

Anno MCCCXLVIII. Magnus Noteburgo potitus, incolas & accolias, sibi fidelitatis primum obstrictos juramento, in reliquam expedit quaqua verum Russiam, aliis religionem Romanam, & subjectionem Sueciæ persuasiros; ut etiam auri, argenteum plurimum ad se victorem perlaturos, atque exercitum. Sed Moschi ad suos digressi, poscunt subsidia in Sueones, & cum innumeris hominum millibus actutum reversi, Magnum cum omni trucidassent exercitu, nisi per novum in mare summis patefactum laboribus exitum, ex Nino flumine furorem hostium effugissent. Qui deinceps Noteburgo expugnato, in nostros illiç prædiarios, crudeliter desævierunt, totamque vastassent Finlandiam, nisi partem Careliæ non modicam, illis Magnus resignasset. Quam Suecum postea licet armis recuperatam; tamen hodiè Moschi quâvis fermè reposcunt transactione, ad Regis Magni diploma provocantes, indeque nos impugnandi ansam captantes.

Hinc autem Magnus cum ignominia in Sueoniæ rediens, incolas multò gravioribus onerat exactiōibus, peregrino soluturus militi; ditiones & munitiones regni simul illi oppignorans, quorum antesignanus, Henricus, Calmarniam obtinuit. Nec lamentantem sub hoc pondere miserabiliter plebeculam, adjuvat; Sacris à Pontifice interdictus, ob nummum S. Petri usurpatum, & Præfulem Finlandiæ captivatum, contemnit; à præpostoræ libidinis consuetudine, ut desisteret, admonitus, spernit. Itaque Deo, hominibusque evasit abominationi, & S. Birgitta cunctis cœpit esse venerationi, admirationique, ab illius consilio perinde ac oraculo imposterū dependentibus.

Immò & ipsemē tandem Magnus illam summâ complexus vene-

B 3

ratio-

ratione, capacem vetustæ apud Vastenenses arcis, ipsi donat aream, pro fundatione illic cœnobii, in quo regiis consummando impensis, suam, uxorisque expetebat sepulturam. Quamobrem S. Birgitta, non parùm hâc Regis munificentia exhilarata, facellum & lignea quædam erigit ibi protinus ædificia, in quibus virginum paucarum instituit contubernium, pro confirmatione novi ordinis, Romam meditans professionem. In his tamen consilio auscultat M. Mathiæ, Canonici Lin-copensis, Petri Alvastrensem Prioris, ac Magni Petri sacerdotis sui, virorum eruditione conspicuorum, qui simul illius mandabant literis apocalypses.

In gratiam præterea S. Birgittæ, & Cœnobitarum, villam monasterio adjacentem, Rex Magnus jure donavit municipali, Vastenumque à prægrandibus ibidem saxis littore positis, velut quorundam est opinio, illam appellavit.

Valdemarus intereâ Danorum Rex, peregrè domum reversus, Fioniam, & aliquot Selandiæ, Jutiæque arces, à Comitibus Holsatiæ, dato precio, receperat.

Anno MCCCXLIX. Clemens VI, Eschilstunensibus in Sudermannia monachis, de ordine S. Johannis, suis roborat bullis privilegia.

Carolus IV Romanorum Imperator, Pragæ Albertum, Megapolæ Comitem, sororium Suetici Regis, ducali ornavit dignitate, qui Cæsari propinquo junctam sanguine habuit uxorem Euphemiam.

Proinde cum Cæsar alium Brandenburgensibus Marchionem vellet obtrudere, Ludoviço Dani sororio prorsus deposito, & Albertus studeret partibus Imperatoris, Valdemarus infestavit illius ditiones, marte non admodum fortunato. Ideò sequestrem poscit Danus Regem Sueciæ, Magnum, qui festo Pentecostes in Hallandia litem apud se depositam, hâc inter alias transegit conditione, quod Romulus, Ludovici frater, Alberti filiam Ingeburgem ducturus esset conjugem. Ità tamen Valdemarus, Caroli non evasit indignationem.

Anno MCCCL. Siquidem hâc de causâ citatus ad tribunal Imperatoris, mense Februario, obtentâ fide publicâ, illuc proficiscitur; Quem Cæsar, illius perceptâ excusatione, non gratiæ solum pristinæ restituit, sed arbitrum etiam constituit, si quid porrò discordiæ cum Brandenburgensium sibi obveniret Marchionibus, eidem præterea confirmans annuas de Lubeco pensiones, quibus Ericus Saxonæ Princeps lubens cessit, velut à Marchione oppignoratis Valdemaro.

In reditu autem nonnullos quoque alios Germaniæ Principes, habito Lubecæ cum ipsis colloquio, sibi Valdemarus amicat suboffensos, & ipsos inter restaurat concordiam. Sed Ducem Megapolensium sibi aetioris amicitiae vinculo Danus obstrinxit Albertum, cuius etiam filio Henrico, illic despousavit suam filiam, dote VI millium marcarum Coloniensium promissâ.

Casimirum quoque Poloniæ Regem, hoc labente anno, ad mutuum in hostes fœdus pangendum provocavit, & in Daniam reversus, Fionios, Jutosque rebelles, armis compulsos, pacavit.

Interim pestis Scondiam horrenda nimium afflixit, adeò ut in Vestrogothia, præter alios mortalium plurimos, CDLXVI sustulerit illa Presbyteros. Principum verò binos solum abripuit, Haquinum & Canutum, Hallandiæ Duces, Magni Regis fratres uterinos. Itaque Sueonibus tanta oppressis contagione, admodum molesta contigit illa sacrorum cessatio, à Clemente VI. propter ablatum S. Petri nuper denarium per Regem, hic promulgata. Et tamen videntes Magnum, tantis Dei homi-

numque flagellis, ad saniores nè aspirare quidem vitam, illi Sciam, Halogiam, Islandiam, Ferogiam, ac Hetlandiam, tribuunt Sveones & Norvegi, filiisque, Erico & Haquino, absolutam committunt regnorum gubernationem.

His quoque patriæ calamitatibus, prælustris S. Birgitta Herois provocata, & visendæ urbis religione, Ordinisque novi approbatione invitata, Birgero & Carolo filiis, præter alios, comitibus, Romam peregrinatur.

Henricus, Alberti Megapolensis filius, per hanc luem sponsâ orbatus Margaretâ, XXVIII. Octobris, alteram Valdemari despontet filiam, Ingeburgem, aviam Erici, & proaviam Christopheri, potentissimorum in Scondia deinceps Regum.

Anno MCCCLI. Magnus ægerrimo ferens animo suam depositionem, in instituto Helsingburgi cum suis conventu assentatoribus, in filios & Proceres Sveciæ, Norvegiæque bellum machinatur, & Dani subsidium clam precatur. Illud verò sub periculo amittendæ Scaniæ oblatum aversatur, Indeque Valdemarus discordiâ Sueonum fretus, Sciam impudenter cœpit palam reposcere. Proinde trini de Sueonia Episcopi actutum Helsingburgi, cum Danis totidem congressi, de hac Valdemari protestantur perfidia, ac XXX millia marcarum mulctam Colonensium, in contractu determinatam Scanico, per Valdemarum pertinaciter flagitarunt.

Eundem Valdemari animum detestati perjurum Holsati, & Svennum in ipsum conspiratione animati, cum Slesvicensium Principe, Vandaliæ mercatoribus, & Fioniæ, Jutiæque Optimatibus, ob cladem anno illatam superiori, Regem execrantibus iniquissimum, Valdemarum bello impetiverunt. Is autem lepore timidior, & vulpe astutior, tempori hostiumque furori cedere consultum existimans, arcibus regni probè munitis domi, exteris adiit regiones, exeunte Octobri, & XVI. Novembris, Daniam revisens, blanditiis adversarios mitigare nequicquam conatur.

Hemingus Upsalensi valedicit cathedræ, mortis compulsus imperio, quam Petrus deinceps occupat, S. Nicolai in Ostrogothiâ Præfulis avunculus.

Quando diva Birgitta per Italiam sanctitate inclarescens, autoritateque, Clementem VI, per literas serio hortatur, ut ex Galliâ commigret Romam, collapsos Ecclesiæ mores reformatum, alias Numinis experturus esset vindictam. De legit illa virum, religione & eruditione celeberrimum Romæ sibi consiliarium, & ut vocant, Confessarium, Alphonsum, Gyenensis Ecclesiæ Antistitem, qui visiones simul suas calamo exceptit, velut etiam B. Petrus, ejus Sacellanus.

Anno MCCCLII. binis ante Pascha septimanis, Johannes, Vagriæ Comes, à Valdemaro Rege, & Holsatis delectus controversiæ arbiter, illum frustrà decidere laborat, Dano juris processum non observante.

Hanc verò non modicum exauxit litem, qvòd Valdemarus conjugem, Ducis germanam Slesvicensis, & cognatam Holsatiæ Comitum, suspectam adulterii cum Folquardo Lagmansonio commissi, detineret captivam, nec dum criminis convictam, atque ipsemet scerto palam, Tosva nominato frueretur.

Ingeburgis, Magni Regis mater, XII. Martij, foundationem, dotacionemque cœnobij in Norvegia, Hofdensiodensis, à suis extracti majoribus, roborat, & liberaliter auget, filio consentiente, illicque anniversaria p̄o sua & parentum animabus, sacra instituit. Id fuit monasterium hoc tempore Ordinis Cistertiensis, & deinceps Brigittinis cessit monachis.

Danus interim arma parans in antagonistas, ipsis congregari subvere tur, inter se & Svecum pendente super Scania lite. Ideoque in Sveoniam profectus, novum orat Helsingburgi hac de re conventum, & consensu blanditiis obtento, remeat, hostibusque in Fonia obviat. Sed anticipitem belli aleam subire adhuc formidans, arbitris controversiam submisit, & cum Megapolensium Ducibus, suo in Daniam sumptu magnifice perductis, ut Scanicum deciderent dissidium, contendit Helsingburgum. Illic autem firmissimis Valdemari, super Scaniæ venditione conspectis literis, Magno sequestris provinciam adjudicant, & XXX. millium marcarum, à Valdemaro mulctam pendendam pronunciant. Hanc tamen post paululum in Lyckeby Blechingiæ, Magnum fidelibus destitutum Consiliariis, adortus, aureis promissis subdolè deprecatur.

Itaque domi non sibi metuens à Sueonibus & Holsatis, foras cum exercitu prodiit, opem Megapolensi latus ex fœdere, adversus Pomeranum. Illos verò inter pace restitutâ, copias dicit in alios Slavorum Principes, sibi infestos, nec sacrîs nec profanis parcens locis, vel personis, captos naribus mutilans, & auribus, tantamque passim exercens tyrannidem, ut amicis & inimicis evaserit meritò execrabilis.

Denique regressus domum, ab Antistita sui poscit gynæcei succubam quampiam, & illa productam de custodia uxorem, inscio nocte substernit Valdemaro, filiâ tûm imprægnatam Margaretâ.

Anno MCCCLIII. Magnus odia Sveonum magis incurrit, quod Lychebigii nuper citra Senatus consensum, cum Dano litem transegisset, inque aliis reipublicæ negotiis arduis, Procerum spreto consilio, ex sententiâ quorundam imprudentium juvenum, plerumque causas decideret. Horum verò primarius exstigit Benedictus, Algoto, Vestrogothiæ Legifero genitus parente, adolescens arrogantissimus, & Reginæ Blancæ fortassis plus æquo charissimus. Quem Magnus, II Februarii, Hallandiæ Ducem creavit, & illi totius gubernaculum imperii mandavit, eo proprium spoliens filium, ac seipsum multiplicibus exponens calamitatibus.

Sed Valdemarus, Danorum Rex, longè melius suis prospicit emolumentis, qui mense Julio concordiam amicitiamque cum Jutiæ ac Holsatiæ Principibus, restauravit, & illos propter, prolemque in utero conceptam, uxorem libertate donavit, quæ Margaretam hoc anno enixa fuit, illustrissimam Scondiæ totius Dominam postea constitutam.

Anno MCCCLIV. Valdemarus, nescio quâ permotus insolita devotione, Innocentium VI. invisit Avennione, à quo magnifice suscepitus, tribus ante Pascha hebdomadis, rosâ donatur benedictâ. Dein patriæ restitutus, Calendis Juliis, in conventu Ordinum Nyburgensi, procerum non nullis offendam condonat, & leges privilegiaque confirmat populo universo, & suo more nihil servat, quod in fine comitiorum, quidam elatâ voce veraciter contestatus est.

Interea verò causa Scaniæ, colloquium Helsingburgi sex utrinque Præfules aliud frequentant, in quo Valdemarus denuo causâ cadens, ad multam toties solvendam, quoties Suecos haëtenus ob Scaniam nullo jure molestasset, rigore proprii diplomatis perurgetur. Itaque provocat ad mutuum cum Rege Magno colloquium, XXIX Septembris, ibidem institutum, & tantundem impetrat, bilem deinceps in miseros effundens Frisones, quorum plurimo mulctavit argento rebellionem.

Anno MCCCLV. Vitæ clauserat periodum XV. Aprilis, Petrus, Lundensium Antistes, & VIII Junii die, Jacobus illi subrogatus, suos multâ beat immunitate Assessores.

Daniæ verò Monarcha Valdemarus, ceù prævaricator divenditæ ini quis

quus Scaniæ, iterum à Suecis compellatus, XXIV Junii, litis prorogationem obtinet Helsingburgi, Jutiæ deinceps occupaturus Ducatum, Benedicto Alefeldensi subsidium promptè in D. Valdemarum exhibuit, & dubio perterritus marte, dolosam cum Principe agnato renovat amicitiam.

Benedictus etiam Hallandiæ Dux, certò comperiens Jacobum Aveniōne morantem, cæterosque Lundensium Prælatos, contra fidem Sueonibus sæpè præstitam, cum Rege Danorum, Scaniæ inhiante, colludere, quævis eorundem prædia Regio attribuit fisco. Proinde Jacobus, confirmatione obtentâ, reversus à plenâ munera sui functione, sequenti plurimum remoratus fuit sexennio.

Atqui Petrus, Sueonum Archipræfus, Lutetiam Parisiorum, Ringudo Upsalensium Archidiacono, & M. Ingemaro, ablegatis, illic suæ domos Ecclesiæ, quondam à M. Andrea Præposito donatas, divendidit.

Catharina, D. Birgittæ filia, matris desiderio visendæ nimium æstuans, affensu mariti, Gustavo Tunonis, Marschalco Sueonum, & duabus comitata heroinis, Romam festinat, & Bononiae inscia matrem prætergreditur, ibi commorantem.

Anno MCCCLVI. Juti, perfidiam & tyrannidem Valdemari diutius sufferre non valentes, arma in perjurum corripiunt Principem; Quos tamen blanditiis deceptos, mense placat Februario.

Deinde per amicitiam, cum Magno Rege frustrà se conatum hactenus Scaniam recuperare considerans, novam eadem de causâ cum filio illius Erico auspicatur, affinitatemque. Siquidem suasu Valdemari, Dux hoc anno Ericus, Beatricem, ejus sorore, ac Ludovico, Brandenburgensium prognatam Marchione, duxerit uxorem. Quem cum illa ex nuptiis forte reducem lautissimè in Daniâ exceptit, & liberalissimè donatum indè remisit in Sueoniam.

Interea Magnus, Henrico Holsatiæ Comiti, à Vandalicis impugnato mercatoribus, opem latus, quotquot illorum in Scania negotiationibus intenti hærerent, captivavit. Hinc vicissim reliqui exacerbati, Scaniam populantur, Suecis Holsatisque illic deprehensis, vincula injicientes, & provinciam sibi subdentes.

Ericus verò Dux, Scanorum misertus, nuncque ob nuperam audacior factus affinitatem, in primis Benedictum ex Scaniâ Hallandique profligat, capto & everso Falchenbergo. Deinde Vandalorum expellit instidores, & Cleri captans favores, ipsi privilegia roborat, fundosque redonat.

Sed mater Benedicti sui permota infortunio, Valdemari subsidium, illi contra filium implorat, sub non dubio Scaniæ resignandæ promisso, & se palam omnibus fugillandam propinat. Benedictus vicissim gratificaturus Reginæ, nobilissimam pudicissimamque repudiat conjugem, Uphonis Ambergi filiam. Quem egregie vindicarunt despectum, ipsius avunculus, Erengislo Comes Orcadensium, Carolusque à Tofta, frater Ingeburgis germanus.

Anno MCCCLVII. Consiliarii Sueonum, pro sua liquidò animadvertentes prudentiâ, Erici cum parentibus discordiam, in patriæ supremam tendere perniciem, indeque Valdemarum continuò occasionem recuperandæ Scaniæ captare, nunc amicum, nunc inimicum agendo; nunc Magno, nunc Blancæ, nunc Erico, sese velut Proteum accommodando, ut non immerito Danorum Historici astutiam illi vulpinam, famem lupinam, audaciam leoninam, & perfidiam tribuant Jugurthinam. Ideò concordiam inter regni sui Principes quantocyùs restituendam decreverunt, Alberto,

Megapolensium Duce, Comitibusque Holsatiæ, in consilium adhibitis. Qui ad indictum Jenecopiæ, hanc propter causam invitati, conventum, non ægre comparent. Illic autem, XXV. Aprilis, regno partito, Ericus in gratiam cum parentibus, & Benedicto rediit, Scaniâ, Blechingiâ, Hallandiâ meridionali, Ostrogothiâ, Smalandiâ, Finlandiâque imposterrum fruiturus. Verum pater, Uplandiæ, Gotlandiæ, Vermelandiæ, Daliæ, Hallandiæ boreali, Vestrogothiæ ac Oelandiæ, dominaturus, diplomataque jurisdictionem Sueonum in Sciam astruentia, IV regni Præfulibus, totidem Proceribus, custodienda traditurus.

Ericus deinceps æstate profectus sequenti in suam Finlandiam, ipsam revocat ad statum meliorem, & VII die Septembri, Abogiæ, Parochorum in Bothniâ orientali veteribus subscribit immunitatibus, ab insvetis liberans quoque plebeculam tributis, per Benedictum Ducem impositis. Hinc verò in Sueciam reversus, comperit parentes, à pactis descivisse Jenecopenfibus; Scaniæ literas, securæ non traditas custodiæ; suspectam cum Dano renovatam amicitiam; & Benedictum pristino turgidum fastu incedere. Quocircà Ericus, de consilio Sueonum, inconstantiam Magni detestantium, in parentem arma molitur; Varbergum Hallandiæ expugnat; inde Benedictum fugat, Boëtium Valdemari nuncium ad parentem captivat, & ipsam quoque regiam occupat Stocholmiam, hujusque Senatum sibi addictiorem redditurus, severum XXV Novembri, in molestatores & invasores ejusdem promulgat statutum. Ex quo liquet manifestè, Ericum Sueciæ jam supremum sibi vendicasse imperium.

Ideo Magnus, filii plexurus rebellionem, brumâ ineunte, Germaniam versus suos expedivit Capitaneos, illic militem conducturos. Quos tamen oceanus, navigationi hoc tempore in Sueciâ minus idoneus, domi remoratus. Interim verò Danus, Holsatos impugnans, de ipsis victoriæ reportavit. Quibuscum Ericus mox pepigit fœdus in parentem, & Valdemarum Marchionem quoque socerum ad belli societatem, dubio procul, attrahens, unaque Megapolenses & Slesvicenses Principes.

Anno MCCCLVIII. Valdemarus, IX Januarii, à novo Sueonum Rege, & præfatis impugnatus undique Ducibus, se bello vicissim accingit, Langlandiam, Alsiam, & Fimbriam invadens; suoque illas eripiens affini Valdemaro. Sed Danicarum pars copiarum Oceanum infestans, à Finlandis & Vismariensibus graviter mulctatur. Tandem verò, XXX Octobris, Dux Pomeraniæ, Barnimus, Regem Comitibus reconciliat. Quem tamen Juti magis execrati continuant rebellionem; Quorum primarios, fide publicâ munitos, de colloquio reduces, claram trucidavit.

Magnus interea, Sueciæ ac Norvegiæ Rex, perfidam Valdemari detestans amicitiam, cum filio, Proceribusque jungit dexteram. Ideoque amicissimis Dani literis, nunciisque, Hafniam Magnus & Blanca ad Decembria invitati convivia, non comparuerunt.

Hoc insuper anno Magnus, Helsingburgi filii assensu, prædium Racheby Hallandiæ, prænibili viro, Trottoni Petrio, suo Consiliario, & Gustavi I. Sueonum Regis tritavo materno, assignavit, tantundem alibi recipiens possessionis. Isto autem diplomate, Magnus Sueciæ, Norvegiæ, ac Scaniæ; verum Ericus Sueciæ, Gothiæ, & Hallandiæ, Reges nuncupantur.

Anno MCCCLIX. Ericus, Sueonum Rex, deprehendens Jacobum Scaniæ Præfulem, plus æquo Danorum partibus favere, ipsum, mense Januario, Ahusiam captum, in vincula conjicit; ex quibus deinceps evasit in Borenholmiam, ubi ad mortem usque delitescit. Ericus verò Ahusiam, & non modicam Scaniæ occupat portionem, propterque illustres animi &

## TOMUS TERTIUS.

19

cōporis dotes, Sueonibus evadit charissimus, ut pater multis obnoxius  
vitiis, odiosissimus. Quocircā filii invidens hic fortunis, à Valdemaro  
que iterum blandissimē Hafniam invitatus, cum uxore ac filio illuc profi-  
sciscitur Haquino, Rege Noricorum designato; Ubi frāudibus Dani subsi-  
dium liberale in Ericum, & sectatores pollicentis, seductus, incendioque  
dolose illic excitato, literis super Scaniā spoliatus, Scaniæ stolidus consen-  
tit resignationi, & Haquinī cum Margaretā, Valdemari septenni filiā, de-  
sponsationi. Nec vera quorundam assertio, qui Valdemarum Magno, bi-  
nas Hisingiæ Hallandicæ, parœcias perhibent nunc donasse, in illas siqui-  
dem Danus nihil hoc ævo habuerit jurisdictionis.

Post abitum verò hospitum, Valdemarus ex pacto cū illis sancito,  
Scaniam potens ingreditur, & prætendenti falso in gratiam Magni, pro-  
vinciam Regi Erico se advenisse ereptum, aliquot deduntur in eā munitio-  
nes. Sed inaudiens Ericum, instruētissimo cum exercitu illic appropin-  
quare, firmatis suo arcibus captis præsidio, in Selandiam indè festinavit,  
adveniensque Ericus, regionem Danis adimit; illorum plectit fautores  
rigidissimē, parentemque ad deserendum Valdemari amicitiam, ac Mega-  
polensem & Holsatorum amplectendum permovet. Illi simul persuadens,  
ut Haquinus, repudiatā Margaretā, Elizabetam sibi desponderet Holsa-  
tam. Itaque missis ultrò citroque literis & legatis, sponsaliis utrinque eā  
subserbitur cautione, quod Magnus si obstaculum huic poneret connu-  
bio, thronum Sueciæ Henrico, virginis fratri, assignaturus esset. Sin  
verò Henricus obsisteret, Magno LX libras argenti pensurus esset, &  
Calmarniam simul restituturus, datis utrinque sponsoribus.

Hac Sueonum & Noricorum affinitate societateque, Henricus, Co-  
mes Holsatiæ, factus animosior, socero in subsidium adhibito, Magnipo-  
lensem Principe Valdemarum impugnat, Fimbriam recuperans. Inde-  
que animus Jutis accrescit, qui legibus & privilegiis non permissi veteribus  
frui, haud parum negotii Valdemaro, sibi per summam dominantis ty-  
rannidem, iterum facessunt. Atqui horum præscius hostium Valde-  
marus, in ipsos suppetias, à Pomeraniæ Ducibus hujus anni primordio, sibi  
providet, illis Rugiam jure feudi permittendo.

Anno MCCCLX. Blanca Sueorum & Noricorum Regina, filium  
regni usque potentem non diutiū sufferre valens, consortem eundem  
veneno sustulit, quem uxor, liberique morte quoque sublati, mox comi-  
tantur, potionati eodem fortassis virulento poculo. Hoc autem immanis-  
simo crudelissimoque parentis in filium scelere, Sueones jure commoti,  
ipsam maritumque regno prorsus exuissent, Haquino subrogato, nisi hor-  
ribilibus juramentis literisque, emendationem firmissimis spopondissent.  
Non tamen Benedicto, flagitiū hujus complici, ullā parcendum ratione  
censentes, ipsum trucidarunt, Soræ apud Danos, ut reor, tumulatum. Si-  
quidem insignia, nomenque illic fenestræ inusta per encausticen, hodiè  
deprehendantur.

Proindè Valdemarus, metu Erici liberatus, Scaniam denuò inva-  
dens, Helsingburgum arctissimā premit obsidione, & advolantem in pro-  
vinciæ defensionem, cum Norvegiæ Sueciæque grandi admodum exerci-  
tu, Magnum ad privatum dolis pertrahit colloquium. In quo admirabili  
quâdam vafricie, simplicem permovit Principem, ad resignandam sibi  
protinus Scaniam, & Blechingiam, regiones amplissimas & fertilissimas,  
idque citra Sueonum suffragia, per quos, heu carè nimium, essent olim  
comparatae.

Plurimis tamen, iisque gravissimis Magni consensum Valdemarus  
obtinuit conditionibus, quas inter, quod illi vicissim amicus ad aras, & por-

rò futurus esset, in omni succursurus, velut frater, necessitate; Et matrimonium procederet liberorum, cuius mirifice exaggerat emolumentum Valdemarus.

Sic Sueones Scaniâ & Blechingiâ turpiter spoliati, crebrò sequentibus illas seculis, sunt conati frustrâ recuperare, quod Daniæ Reges subinde Suecis unâ dominantes, illorum votis æquissimis identidem obluctantur. Perpetua verò ignominiæ labecula, plenumque probris cognomentum famæ Regis Magni, apud posteros exinde merito adhæserunt.

Verum Megapolenses, & Holsati, Jutiæque Dux ac Proceres, Erici morte, Sueonum & Noricorum defectione, atque Valdemari successibus consternati, cum ipso aliquandiu, filioque Christophero, Lollandiæ nunc Duce constituto, paciscuntur. Ut etiam Lundenses, & Malmogenses, propter operam forte Valdemaro in Sueones fideliter navatam, annis prioribus, per Daniam immunes à quibuslibet evadunt vestigalibus.

Anno MCCCLXI. Jacobus, Lundensis Antistes, XXIII. Januarii, mortem in Borenholmia oppedit, XVIII. Februarii, Lundiæ sepulchro commendatus, & XIV. Martii, Nicolaus ibidem Canonicorum unus, cogitur orbam ascendere cathedram.

Alter verò Nicolaus, lubens infulam capessens Ottonensem, quod confirmationem ab Innocentio VI. impetrasset, se primus ex omnibus hujus Ecclesiæ Præfulibus, Dei, & Apostolicæ sedis gratiâ, scriperat Episcopum.

S. Hemingus, Finlandiæ vigilantissimus Antistes, ob iniquam Regis Erici necem, sibi charissimi, parentes meritò sceleris arguens, ab illis secundo in custodiâ detruditur, eamque propter officia per regnum Divina quinquennio obmutuerunt. His tamen non deterritus Magnus, in pristinâ pergit malitiâ, insvetis quoque plebeculam onerans contributionibus. Quas propter rebelles Oelandos & Gotlandos suum obsecrat Valdemarum, ut sibi redderet morigeros.

Nec Danus harum cupidus insularum, abnuit operam, initio æstatis Oelandiam in primis aggrediens, quam suo non Magni subdit imperio, cæsis in illa DC incolarum, & Borholmio, insulæ præsidio expugnato, Danisque commendato. Clade autem Oelandorum, Gotlandi commoti, aduentem inde à suis propellere littoribus, frustrâ connituntur. Siquidem armis descensione in terram extortâ, XXII. Julii, ternam de agricolis obtinuit victoriam, illorumque MDCCC vitâ, & superstites opibus spoliavit universis. Deinde à Visbycensibus, nomine Magni intromittendus, non modicam prosternit mœnium partem, elatis urbem signis per ruinas ingrediens, quod alioqui civium subvereretur insidias, quos immensis exuit divitiis (et si velut amicus illic esset admissus) ex sacris & prophanis ædibus certatim egestis.

Denique mercatores, & agrorum residuos cultores, ad spondendam sibi obedientiam compellit, quibus II. Augosti, veteres modice auctas corroborat immunitates, & cum perfidâ navigat victoriâ Daniam versus, Cræso fortassis opulentior, nisi Oceanus emporii sui nobilissimi, quod ad pristinam exinde dignitatem caput amplius non extulit, prædoni offensus, divitarum hujusmodi non parum nave demersâ, medio cursu absorbusset.

Quamobrem Sueones ob Scaniæ, Oelandiæ, & Gotlandiæ, plurimum Magno succensi proditionem, Haquin Calmarniam accito, svaserunt, quod parentem in Ecclesiâ captum, velut regni dilapidatorem, non æquum gubernatorem, in arce mandaret custodiæ, XI Novembris, & clavum Sueciæ unâ cum Norvegiæ suscipiteret moderandum. Moxque illi Oelandiam & Gotlandiam ingressi, Danos inde profligant, eas Sueciæ insulas restituendo.

Anno MCCCLXII, illucente, Magnus auxilio Valdemari, nuper adeò firmiter addicto, nequicquam haētenus in vinculis, ob illius amicitiam injectis, exspectato, perfidam ipsius familiaritatem, affinitatemque repudiat; eadem cum Holsatis & Megapolensibus renovat; emendationem jurat; libertatem, ac thronum recuperat, bellumque Valdemaro denunciat. Quod ipsum faciunt negotiatores Vandalici, suis Visbygi mercibus à Dano priori anno injustè spoliati, hostium vicissim apud se merces arripiendo, & cum Sueonibus, Norvegis, Holsatis, ac Henrico, Magnipolensium Principe, Danis propter non solutam infesto dotem, terrā marique Valdemarum impugnarunt.

Confederatæ verò totius classis fuerat Archithalassus, ille mavortius planè Heros, Comes Holsatiæ Henricus, quâ Jutiam, Selandiamque populatus, Helsingburgum impugnat, Scaniam Suecis restituturus. Sed inaudiens à Valdemaro classem in freto, nudam propemodum epibatis, intetereà profligatam esse, deserit obsidionem, bellique continuationem, donec apparatum navalem restauraret. Rebus tamen suis Rex diffidens, generum placat, numeratā dote, ac illo deinceps sequestre, aliisque amicis, conventum Lubecæ cum adversariis obtinuit. Ubi mense Novembri, annuas impetravit inducias, consensumque de novo, calendis Majis anni sequentis, in Falstriâ Nycopiæ, colloquio instituendo.

Verum exeunte autumno, missi Sueonum & Noricorum in Holsatiam legati, quorum primarius fuit Hermanus von Witzen, Elizabetam, Comitis Henrici germanam, Regi Haquino conjugem adducunt, indè cum binis, Novembri mense, solventes naviis, Sueoniā versus.

Illos autem in Daniam pulsos tempestate, Valdemarus novi haud ignarus connubii, per speciem amicitiae fraudulenter cogit ibidem hymenare, prætexendo brumæ sævitiam, cœli inclemantium, & viarum malitiā. Ac interim literis nunciisque creberrimis, familiarissimisque, perswasit Magno, & Haquino, ut repudiata Elizabetā, suæ expeteret hic filiæ matrimonium.

Hac verò detestandâ Magni & Haquini Henricus meritò inconstantiâ offensus, hortatur fidejussores ad satisfaciendum pactis, alias infamia certò notandos esse labeculâ. Itaque XII. illi sponsores, quos inter Lin copensium & Vexionensium essent Episcopi, Nicolaus Turonis, Sueciæ Dapifer, Carolus à Tofta, Marschalcus, Carolus Antra, & Ericus Caroli, Equites torquati, cum suis sectatoribus, Reges ad standum promissis serio hortantur. Quibus ideo perperam indignantes, illorum XXIV, in fine hujus anni, proscripterunt. Qui difficulter in Gotlandiam delati, hyberna illic diligere compelluntur.

Valdemarus, quo tempore, Sueones Scaniæ dominabantur, nè illis simul Borenholmia, Danis subducta, subderetur, plurimum satagebat, & mortuo nuper Jacobo, Lundensium in ea Præsule, mox sibi infulam propterea vendicavit. Verum metuens, nè successorem Jacobi, Nicolaum, sibi hâc injustitiâ redderet adversarium, VIII. Decembris, Borenholmiam illâ restituit ipsi lege, quod eam cum Hammarhusio, poscentibus Daniæ Regibus, fideliter esset resignaturus, successoresque.

Axevaldium, Vestrogothiæ Sueci, Danorum illuc excursiones repressuri, ruinis aliquandi obrutum, restaurarunt.

Anno MCCCLXIII. nè diuturnior poneret connubio mora obstaculum, octiduo secundum Pascha, nuptias Magnus, & Valdemarus, Scondiæ Reges, Hafniæ celebrarunt Haquini, ac Margaretæ, solum undennis.

In hoc autem symposio Valdemarus, sibi genero, & filiæ, ad thronum quoque Sueoniæ aditum præparatus compendiosiorem, Magno &

Blancæ, sectatoribusque, simul venenum largè propinavit. Quo illa protinus occubens, insonti necem filio taliter quoque prius illatam, meritò luit, Soræ tumulata. Sed Magnus, operâ fidelissimi sui medici, Laurentii Johannis, mortem evadens, Ceciliam, S. Birgittæ filiam, loco sosti, dedit illi uxorem. Ipsem verò Holsatos placaturus, Elizabetæ in Sueciam expeditæ, fidem spondet matrimonii.

Tantum verò scelus in convivas suos amicissimos, nefariè perpetratum, non tulit Valdemarus impunè. Quandoquidem Christopherus illius filius, fortuitò mortiferum quoque delibans poculum, XI deinceps Junii die, animam efflaverit.

Interea Proceres Sueciæ extorres, primo vere, Comitem Holsatiæ accedentes Henricum, illi patriæ sceptrum, jure paeti obtulerunt. Quorum ipse, collaudatâ plurimùm fide, throno se minus idoneum afferit, propter senium & invaletudinem, illis persuadens unum Alberti, Ducis Megapolensis, filium, velut proximum Magno, & Haquino, diadematis Suetici hæredem, acceptandum.

Domi autem hujus Sueonum reliqui non sat gnari consilii, Magno, & Haquino, se pariter abdicarunt, & Israëlem, S. Birgittæ germanum, throno destinarunt. Quem ille honorem evasurus, velut discriminis plenum, & Magni furorem, Rigam tantisper secessit, ubi etiam in fata concessit, solium cælo feliciter permütans.

Cæterum Valdemarus, Megapolensium, & Holsatorum, cum Sueonibus formidans conspirationem, XXX Septembris, Vandalicis reconciliatur mercatoribus, nè ab illis simul infestaretur. Atque amicum sibi provisurus, qui domi Megapolensem distineret, XIII. Decembris, cum Polono Cracoviæ fœdus instauravit.

Præfati Sueciæ Optimates interim, designarunt, non citra reliqurum in patria Ordinum suffragia, Albertum, Ducis Alberti & Euphemiae filium, nepotem Erici, ac pronepotem Haquini, Norvegiæ quondam Regis. Cum illo autem pater Sueciam versus navigans, fautorum inde classem adipiscitur obviam, inque Gotlandiam simul appellens, incolas ad spondendam filio suo subjectionem promptos deprehendit.

Quocircà Calmarniam inde contendit animosior, Henrico genero adhuc adhærentem, ubi Smalandis novo Regi obedientiam quoque deferentibus, Stockholmiam festinat ad indicta Ordinum comitia. In quibus XXX. Novembris Albertus concorditer Rex salutatur, & Magnus cum filio repudiatur. Is quidem huc citatus, non comparens, novâ admonetur citatione ad comparendum sequenti anno Upsaliæ, objectionibus responsurus. Qui moratus interea in Hallandia, ratione hujus Lundensium in cœnobio Asylenſi modo subscribit privilegiis.

Anno MCCCLXIV. Valdemarus considerans Magni & Alberti filios sibi æquè charos esse generos, maluit spectator potius, quam auxiliator existere in hac tragediâ, neutri ferendo subsidium. Tamen Alphio Holsatiæ Comiti, feudum hoc anno Fimbriæ abnuit impartire, donec se litis cum Magno, propter repudium cognatæ virginis, arbitrum deligeret Alphius. Deinde Vandalicarum municipes civitatum, solutione mercium Visbygii, à Valdemaro subduitarum, hactenùs frustrati, armis ipsum undeaque ita premunt, ut regno cogeretur excedere. Deinde cum illis Barnimus, Pomeraniæ Dux, Proceresque Danorum, ex mandato Regis absentis, mense Junio, Stralsundii trimas paciscuntur inducias.

His verò ab utraque includuntur parte, Magnus & Albertus, cum filiis, quas etiam suis approbat Valdemarus redux literis, haud invitus. Sed Pragæ hactenùs delitescenti, Cæsar die Parasceves, approbat denuò annuos

annuos de Lubeca census, donec illi XVI. millia librārum argenti, pro obsequiis Imperio exhibitis numerarentur.

Nec Magnus Valdemaro melior, nisi quod ille simplici, & hic dupli- ci falleret animo, non comparens hāc æstate in prato Morensi, regno pror- fūs exuitur his de causis, illiç publicatis: Quod in primis Ecclesiæ con- temneret censuras; flagitio indulgeret Sodomitico; multis defœdatus es- set perjuriis, & sacrilegiis; Scaniam Dano prodiderit; Oelandiam, Got- landiamque, eidem vastandas permisisset; tributis Sueones gravasset in- suetis, ac Optimatum domi forisque machinaretur exterminationem.

Inde verò nostrates Upsaliā regressi, Albertum diademate ornarunt, & Urbanus V. illorum motus deinceps precibus, regnum sacris restituit. Verūm Magnus suo firmavit præsidio, arces passim, & cum fautoribus Norvegiam adivit, ut exercitu illic congregato, Albertum impugnaret. Qui minimè avunculum metuens, sub autumnum, parente in Germaniam remeante, Finlandiam petit infestus, munitiones hosti adhærentes expugna- turus. Neque segnes illi suppetias Sueci deferebant, aurea sub ipso secula sperantes, & ferrea experientes, quibus ævo multo Princeps, ante hunc, non dominatus fuit peregrinus.

Anno MCCCLXV, mundum ingrediente, Magnus per absentiam Alberti, Sueciam recuperaturus, cum filio ipsam invadit. Quos hostis Stocholmiā erumpens, perque Vesmanniam dispersos aggressus, ingenti mactavit clade, & Magnum regni sui, XLVI. anno, captum, septenni clau- fit carcere Stocholmiæ. Sed Haquinus, vulnere accepto, cum superstitionibus in Norvegiam profugit, quem Olaus interim ex Margaretā genitus illi filius, plurimum exhilaravit. Corruerunt verò hāc pugnā, cum aliis Magnatibus, Johannes Christierni, Sueciæ ac Norvegiæ Dapifer, & Magnus Roo, in Ecclesiâ humati Alvastrenium, inciditque hoc prælium in XXIV. Februarii, ad pontem Ostani, parochiæ Tillingensis, prope Ene- copiam, commissum.

Per sequens deinde septennium, Haquinus patrem liberaturus, & suis opitulaturus fautoribus, regni munitiones impigre contra hostes pro- pugnantibus, crebris vicinam Norvegiæ Sueciam, affixit incursionibus. Verūm Albertus suorum animatus victoriā, ferventius impugnat, & tan- dem expugnat Abogiam, sub quā nobilissimus cecidit Heros, Nicolaus Turonis, reversusque in Sueciam viator, infulā donat Lincopenſi cognatum Gotschalcum, quā nudatus esset Nicolaus, propter Magnum in Nor- vegiā extorris. Quamvis illorum fuerit primarius, qui Albertum in Sue- ciam nuper adduxerant, & facti mox pœnitens, Magno se conjunxerat. Primam porrò tori consortem, duxit Albertus Richardem, Ottonis, Ru- pinenſium Comitis filiam, Erici, Alberti, & Richardis matrem.

Hac interim æstate Valdemarus, cum Henrico & Claudio, Holsatiæ Comitibus, pacem inivit, datā acceptāque de mutuo invicem ferendo au- xilio, cautione. Sed Nicolaus, natione Danus, Margaretæ consequitur promotione cathedram Nidroſiensem.

Anno MCCCLXVI. Cū Haquinus absolutum Norvegiæ dominium assecutus esset, isto etiam Islandi & Gronlandi, plenas ipsi quoque habe- nas suarum insularum demandarunt. Is autem socero in subsidium advo- cato, Albertum, parente ac fratribus, Henrico Magnoque stipatum, acri- ter impugnavit, & dubio procul ipsum regno exturbasset, nisi Valdemar- rus ad hostem turpiter defecisset. Etenim Albertus, Dani & Norvegi di- rempturus conſpirationem, insano patris & fratrum duntaxat confilio, aduersus juramentum Sueonibus sancte præſtitum, mense Julio, Alehol- miæ, amplissimas regni sui provincias, Verendiam, Chindiam, Mar- chiam,

chiam, Gotlandiam, medium Hisingiam, & Hallandiam, velut perfidissimus Sueoniæ prædo, Daniæ submisit æternum, si Diis placeret, possidendas, spondens Magnum non prius libertate donandum, nec Haquinum pacem concedendam, quām huic subscriberet ditionum alienationi. Velut etiam ad proximas Februarii Calendas, Ordines Sueciæ illam suis approbaturos sigillis, Calmarniæ stolidè promittens. Vicissim pro se & hæredibus, Sueoniæ reliquum Albertus Rex, & Ducatum Magnipolensem, Comitatum Suerinensem, dominiumque Rostochense, Dux Albertus, Henricus, ac Magnus perpetuo forent jure possessuri. Sic misero de Sueonum corio luserunt Dani & Germani.

Tantam patriæ calamitatem, nè Petrus ipsius Archipræful videret diutiū, XXVIII. Octobris, de mundo abripitur, Birgerus Gregorii Upfalenſium Præpositus, vir literarum scientiâ, & munificentiâ spectabilis, Sueciæque nunc admodum utilis, VI. Novembris, substituitur. Hic fani consili Antifites, non Enecopiæ ſolum restaurat nosocomium, ſed etiam novum penes quamlibet ſuæ diaecesis Eccleſiam ordinat.

Anno MCCCLXVII. Tantum abeft ut Sueones Calmarniæ condicto comparenerent tempore, ut tot regionum proditione, intolerabili Germanorum tyrannide, fævitia, avaritia & perfidiâ compulsi, datis ad Gothos literis tristissimis, illos hortarentur ad exterminandum unâ hos regni prædones, & Magnum de custodiâ liberandum. Indè verò Haquinus audacior factus, Albertum bello laceſſit, ipſius, ſocerique detestans perfidiam; patris & patriæ commiferans; modicum tamen hâc vice lucrans.

Birgerus, Sueciæ Primas, inaudiens Urbanum V. Avennione in Italiam commigrasse, illucque profectus, Viterbij ab illo confirmatur, & initiatur, pro pallio CCC. Cameræ donans aureos Apostolice. Quandò Pontifex à Rege ſimul Alberto, Danis imperare non auſcultare, ullaenū desiderante, ac ab Ordinibus Sueciæ plurimum rogatus, Suecanam liberavit forte Eccleſiam à jugo prorsus Lundensi.

Hoc insuper tempore S. Birgittâ ſui confirmationem Ordinis, ab Urba- no impetrat Väſtenj, apud Ostrogothos in primis fundati, indeque per orbem latè propagati. Quem Elizabetha Holsatiæ Comes, ab utroque deluſa ſponſo, nuper quoque amplexata, religioſe ad mortem usque conſervavit. In illo autem eſt cœnobium, utriue ſexui, juxta veterem D. Basiliī ordinationem, commune; murorum tamen & aspectus separatione diuſum, viris inferiora, & feminiſis ſuperiora incoletibus ædificia; uni auſcultantibus utrobique Antiftitæ, normamque vivendi à D. Auguſtino, & S. Birgittâ, præſcriptam, ſectantibus.

Itaque voti apud Urbanum compos S. Birgittâ diuturni effecta, Birgerum ex urbe filium destinat Regi Alberto, poſcens Väſtenensi ſubſidium fabricæ, & communi Ordinum affensu, de quolibet per Sueciam, Gothiamque homine, XVIII. annorum, deinceps denarium unum, annuatim confequens, pro cœnobii fabricatione, & incolarum ſuſtentatione, principio Januarii, undequaque congregatum. Huic autem præfuit ædificationi Thomas, Vexionenſium Præful, & Birgerus memoratus.

Iſtum quoque circiter annum, imago illa Salvatoris, quæ ad ſum- mum Romæ in Ecclesiâ S. Pauli hodiè viſitetur altare, illic oranti perhibetur, S. Birgittæ locuta. Inſigni autem florens sanctitate in patriâ, B. Hemmingus, Finlandorum venerabilis Antiftes, XXII. Maji, ætatis ſuæ LXXVII, & officii XXVII, vitam terrenam cum coeleſti feliciter permuteverat.

Anno MCCCLXVIII. Finitis cum Valdemaro induciis, ante triete- ridem constitutis, & damnis Visbygii acceptis, neclum compensatis, Vandali ci denuò in illum arma corripiunt mercatores. His autem Sueones,

Megapolenses, Holsati, & Jutiæ Proceres, Valdemari tyrannidem, fraudemque plexuri protinus accedunt, eâ quidem lege, quod Scania, Blechingia, & Hallandia, viribus Sveonum subactæ, ipsis quoque adhærent; Selandia, Mœonia, Falstria, victoribus cederent Magnipolensibus; Jutiâ, Fioniâ, Langlandiâ, & Lollandiâ, expugnatis, Holsati potirentur; Sed negotiatoribus, amplissima Vandalicis privilegia per Daniam concedenda essent subjugatam.

Itaque rebus bello necessariis quantocyùs expeditis, classicum canunt, terrâ marique, hosticum invadunt. Et Albertus nonnullis in Scaniâ potitus castellis, XXV. Julii, Falsterbogiæ, multis cives donat Vandalicos per Scaniam, Daniamque, immunitatibus. Nam & thronum Daniæ, haud dubiâ jam spe devoraverat, non tantum Scaniæ recuperationem, & forsan Norvegiæ sibi etiam persuasit subactionem; Neque tamen ideo tribus hoc tempore usus est coronis, ut Dani fabulantur, sed quod Sueonum esset Rex, terna in stemmate, nostratum legitima, & vetustissima insignia, usurpavit diademata. Primaria verò Alberti fuit intentio, Scaniam recuperare; Oelandiæ & Gotlandiæ cladem vindicare, nuperumque fuit Valdemari ac Haquini, fœdus mulctare.

Birgerus, Sueciæ Archiepiscopus, XXVII. Septembbris, in Conclilio Upsaliæ cum aliis regni Præfulibus habito, decernit, quanta contrahetur spiritualis cognatio, circa baptismi, & confirmationis, collationem; Catholicæ proditorem religionis afferit, qui simplicem negaret fornicationem, scelus existere mortiferum; Hæreticum denunciat, inferni supplicia impiis præparata esse hominibus, inficiantem; Laicis prohibet sub maledictione, clàm palamvè, de fidei articulis; Denique Clericis sub excommunicatione, officiique, & beneficii privatione, interdicit concubinatu, pellices, sponsum Ecclesiæ ad illicitos provocantes amplexus, usu sacrorum, spoliants, & septennem injungens pœnitentiam.

Anno MCCCLXIX. Valdemarus ab hostibus magis impetus, illorum furori se aliquantulum subducere decrevit, & mandans interim fidis sibi Proceribus, per concordiam quâcunque tandem ratione, cum Hansaticis procuratam institoribus, illud dirimere fœdus sibi exitiale, & sub specie devotionis Urbanum Pontificem, atque Carolum Cæsarem, invisit.

Quando Urbanus, Româ parans redditum Avennionem, illic per S. Birgittam monetur, ad remanendum, Ecclesiæque invigilandum emolumento. Cui per Alphonsum quandam sibi factam divinitùs hoc de negotio revelationem, destinavit; inter alia continentem, quod non obtemperans suasioni, mox ut Avennionem pertingeret, esset moriturus, vaticinioque respondit eventus.

Denarius ex Upsalensi collectus diœcesi Petrinus, ad CCC ascendit hoc anno marcas Stocholmenses.

In Norvegiâ, Vinaldus Primas illius, & sedis legatus Apostolicæ, Nicolao succedit demortuo, apud Nidrosienses.

Anno MCCCLXX. Optimates Danorum, Valdemaro fideliores, habito Sundii cum Vandalicis colloquio civitatibus, has mense Junio, ad Regis pertrahunt amicitiam, pro damnis in Gotlandiâ perceptis, Scaniam XV. annis possessuras. Quod eo factum dolo, ut Dani harum ope Scaniam reciperent, & abnuentes Suecos, cum mercatoribus committerent, fœdusque discinderent.

Interim trepidus oberrans Valdemarus Galliam & Germaniam, Cæsar is impetravit diploma, de processu in Danos rebelles; Frustrâ tamen à Gregorio XI. fulmen anathematis in eosdem citra causæ implorat recognitionem. Illi verò de hâc Regis fraude certiores redditi,

coram utroque suam declarant innocentiam, & Valdemarum enormium incusant criminum. Qui ea propter à Gregorio vehementer reprehensus, hujusmodi arrogans & impium dedit responsum : *Valdemarus Rex, Pontifici Romano salutem: Naturam habemus à Deo, Regnum ab incolis, divitias à parentibus, fidem à tuis prædecessoribus, quam, si nobis non fides, per præsentes remittimus; Vale.*

Haquinus, Norvegiæ Rex, Albertum amplius non metuens, Danorum & Germanorum auxilio nunc destitutum, parentis se accingit liberationi. Quam in primis sine bello procuratus, hac misit æstate, VIII. Stockholmiam Commissarios, in quorum Magnus confessum, adversariorumque productus, lamentabili suum deflet infortunium oratione, thronum Sueciæ Alberto permittens, & libertatem, occiduamque sustentatione, Gothiam duntaxat flagitans; hac tamen vice nihil impetrans.

Interim verò nepos ex Haquino, domi Olaus à Norvegis parenti successor designatur; Et David Scotorum Rex querelis Haquini adactus, suis prohibet subditis navigationem ad Orchadas, nisi solius gratiâ mercaturæ, quod incolas crebrò prædarentur.

Anno MCCCLXXI. Haquinus frustrà patrem arte conatus liberare, illud igitur marte perfecturus, Stockholmiam Sueciæ, numero circumdat milite; propugnaculum in suburbio fabricat boreali, continuò in civitatem inde fulminat. Et tandem Albertus, hostis successu deterritus, XIV. Augusti, his consentit conditionibus in avunculi libertatem. Suo Magnus jure in Sueoniā & Scaniā se abdicaret; Arces hactenùs à viris sibi fidelibus defensas, resignaret; Lytri nomine XII. millia librarum argenti sponderet, & LX. datis fidejussoribus, in Norvegiā cum filio migraret, Vestrogothiā, Vermelandiā, Daliāque Sueciæ provinciis, per tempus vitæ fruiturus, & quibuslibet exemplo Principibus futurus esset æternū.

Valdemarus autem callidus Magni supplantator, in Daniam reversus, subscribit lubens pactis cum negotiatoribus ratione Scaniæ, decretis, XXVII. Octobris, Sundii, ab iisdem cautione vicissim suscepit, quod trilustri annorum spacio evoluto, Danis, non Suecis esset Scania consignanda.

Johannes, Abogensium Episcopus, sui in cathedra prædecessoris, S. Henrici tumulum, æneā pereleganter elaboratā, infert laminā hoc tempore Nousii. Sancta verò Birgitta, tantum Romæ inclaruit, ut Gregorius XI. illam in arduis non erubesceret consulere negotiis, quem serio ad migrandum ex Galliā in Italiā hortabatur, literis ipsi per Nicolaum à Vola Comitem, ac Latinum ab Ursinis, Avennionem crebrò destinatis.

Anno MCCCLXXII. Albertus, pace cum Danis & Norvegis nuper initâ, de throno Sueciæ jam securior, indigenis per summam cœpit tyrannidem dominari, quos præ Germanis contemptos, insuetis exhaustis tributis. Et ne illorum magnopere sibi formidanda esset rebellio, Teutonibus suis provinciarum gebernationem, & arcium demandat protectionem, eosque in regni ac urbium, contra leges gentis, adoptat Senatum. Iisdem pinguiora Sueoniæ beneficia, & officia concedit; nobiliora providet matrimonia, licet ipsi plerumque essent ignobiles, genere & moribus. Huc Codro venerant egentiores; Cræso propemodum opulentiores abirent; Preciosissima etiam quovis anno, in Magnipoliā viris, matronis & virginibus, munera crebrò expedivit, ac Sueciæ thesaurum hō sensim pacto cxinanavit.

Verūm principio hujus anni, S. Birgitta Jerosolymitanæ se accingit profectiōni, cum liberis, Carolo, & Catharinâ, Confessoreque Alfonso, Neapolim in primis proficisciens. Ubi vel in Sicilia filius, XXIV. Febru-

bruarii, ægritudine correptus lethali, X Martii, de vitâ migravit. Mater nihilominus, licet vehementi laborans insuper febri, literis à Siciliæ Reginâ Bizantinæ commendata Imperatrici, pergit, & pelagus emensa, per Alphonsum impetrat à Rege Syriæ, in Pera commorante, XIX. Aprilis, salvum Jerosolymam conductum.

Deinde securius progressa, sepulchrum Salvatoris, aliaque sacra Pæstinæ visitat loca religiose, & demum regressa Neapolim, cognoscit Gregorium adhuc morari Avennione. Ad quem propterea geminas, uno schedas tenore, redditum suadendo, conficit, quarum unam jubet coram Pontificio in minutissima disruppi frustula, legato, sub illâ comminatione, quod Ecclesiæ possessiones Romanæ per Italiam, similiter dilacerandæ, ac viribus Tyrannorum essent dissipandæ, nisi quantocyùs in illam remearet. Alteram verò mandat perferendam Gregorio, qui salubrem non contempsit admonitionem.

Gotschalcus, Ostrogothiæ Præfus, suæ prædia Ecclesiæ per Nobiles injustè quosdam subducta, jure recuperans, ea propter ab uno illorum trucidatur, Mathiâ Gustavi. Is autem multo vitam argento redemit, Divinam tamen quoad vixerat, ita fertur comitem habuisse ultionem, ut ipso præsente, nec olla esculentorum, nec vas poculentorum, potuerint materiam necessario concoquere fervore, ipsemque pthiseos infectus tabe, mortuo quam vivo similior aliquandi superviveret.

Anno MCCCLXXIII. Februarii S. Birgitta per sesquiannum cruciata, Romæ XXIII. Julii, septuagenaria, in Panispernensem cœnobio virginum, placide obdormivit, triduoque post illic mandata est tumulo, qui hodiè ibidem visitur, brachiumque Sanctæ dexterum.

Anno MCCCLXXIV. corpus S. Birgittæ reliquum de sepulchro levatum, Româ Sueciam versus, operâ filiæ Catharinæ, transfertur, & IV. Julii die, Vasteni, Alberto, Proceribusque, & Clero Regni præsentibus, honorifice deponitur. Exinde verò fabrica cœnobii lignea, magis occœpit fervore, ad quam certatim Sueones deferebant subsidia.

Cùm biennio Lincensis vacasset post cædem Gotschalcii cathedra, illam Archidiaconus Nicolaus consendit, insigni Præfus sanctimoniam, scientiam & prudentiam, tyrannorum terror, impiorum horror, pater pauperum, mœstorum consolator, ægrorum auxiliator, ac Brigittini Ordinis promotor singularis.

Magnus Sueciæ, Norvegiæ, Scaniæque, quondam gloriissimus Rex, nunc vilissimum fortunæ ludibrium in sinu Norvegiæ Bolmensi, prope regiam insulam, aquis submersus, Varnhemie apud Vestrogothos traditur sepultus. Quando Valdemarus, illo longè felicior, miseros crudeliter populatus est Frisones, ob non solutas annis XIV. pensiones.

Anno MCCCLXXV. mense Octobri, vitam clauserat impiam Valdemarus, Danorum Rex, cuius viderunt animam vigiles Bohusii, à dæmonibus per arcem traduci, vociferantem. Corpus verò Vordingburgi humatum, transfertur deinceps Soram, & famâ superstes, maledictis proscinditur, Valdemaro reprobi, duri, & maligni reservans meritò cognomenta.

Siquidem porrò non obscuris suam indies proderet Vasteni sanctitatem argumentis, D. Birgitta, filia per Regem, & regni Optimates, impensè rogata, Carlique Cæsar is commendata literis, ad Gregorium XI, nuper Avennione, in Latium cum totâ reversum curiâ, festinavit. Nec alienum reperit Pontificem negotio apothesios, quod in frequentissimo Cardinalium bis concessu ventilatum, & tandem approbatum, consummatumque fuisset, nisi mors Gregorii posuisset obstaculum. Is autem,

vel successor potius, fertur Catherinæ in Consistorio, pro matris facundè admodum peroranti canonizatione, dixisse: *Profectò filia, de uberibus suxisti maternis tantam eloquentiam!* Huic etiam negotio Nucerinus, & Anglicus, plurimum studuerunt promovendo Cardinales.

Anno MCCCLXXVI. Ordines Daniæ, cùm haec tenus in Rege fibino-minando, non convenissent, nonnullis aliquem Procerum indigenam, reli-quis alienigenam, Olaum Margaretâ, vel Albertum, Ingeburge, forore, & Valdemari genitos filiabus, eligendos contendentibus, tandem consentiunt unanimiter in Olai nominationem, Sueciæ & Norvegiæ dominium, ita sensim ad fē fibi persuadentes devolvendum. Qui proindè initio Maji, in comitiis Slagelsensibus roborat iis vetera privilegia, præsentibus Haquino patre, Noricorum Rege, & matre Margaretâ, simulque pro filio undenni, spondentibus.

Itaque repulsam nepotis, Albertus Megapolensium Dux senior ægerri-mè, ferens, cum filiis, Alberto Sueonum Rege, ac Henrico, in Danos Norvegosque bellum molitur. Adversarii etiam suis rebus consulturi, Po-meraniæ trahunt Principes secum in hanç arenam. Sed Albertus Dux, Oceanum ingressus, & grande passus naufragium, concordiam amplecti co-gitur, XXI. Octobris, item arbitris Hafniæ lubens submittendo. Quæ ta-men post temporis paululum, D. Alberto demortuo, propriâ corruit mole, sensimque pariter exspiravit.

Ita Olaus æmulo liberatus, Daniam auxilio prudenter materno gubernat, annis XI, illique hoc spondent anno, cives Vandaliæ, Scaniæ certam, exacto tempore trilustri, restitutionem. Notandum verò quod Haquinus, Olaus, & Margareta, Suecorum, Gothorumque usurparint hoc etiam tem-pore titulum, licet Albertus, eorum sibi vendicaret soli monarchiam, quibus per summam dominatur injustitiam. Etenim convocatis regni Statibus, queritur de rerum penuriâ, & tertium quodque prædium ab Ecclesiasticis ac Politicis extorquet, quæ suarum moderationi harpyiarum submittit.

Anno MCCCLXXVII. Calendis Juliis, Nyburgi Olaus, & Magareta, Ordinesque Danorum, se mutuo obligant confensi, ad legum, & quarumlibet constitutionum observationem. Quandò etiam Rex, Nicolao, Scaniæ Præsuli, quadrantem de monetâ adjudicat Lundensi. Verum priori donat anno Margareta illius basilicæ, preciosam de berylo hierothecam, gemmis auroque decoratam.

Alberti Regis consors, hoc etiam moritur tempore, Richardis.

Anno MCCCLXXVIII. Regiâ prorsus magnificentiâ, patriam invi-sens Albertus Rex, Vismariæ Principes Germaniæ, ad colloquium invita-tos, insigni excipit convivio; Ubi Helenam, D. Magni Torquati, Brunsvi-censis filiam, reor ipsi desponsatam.

Gregorius XI. querelis Lundensium in Scaniæ nobiles viros, Ecclesiæ, & toti infestos Clero, permotus, Caminensi, Lubecensi, ac Vexionensi, com-mittit Episcopis, causæ recognitionem, datâ ipsis potestate, injurios & con-tumaces, sacrî interdicendi.

Anno MCCCLXXIX. Cognoscens Rex Sueoniæ Albertus, apotheosi minus addictum Brigittinæ Urbanum VI. nuper electum, suis & Præfulum Consiliariorumque literis Sueticorum supplicibus, causam illi humiliter cognatae suæ, VIII Januarii, Oerebrogiâ commendavit. Atqui XVI Maji, Cathari-na Venceslai Cæfaris freta cognitione, ipsum ex urbe per literas hortatur, ad promovendum unâ B. Birgittæ canonizationem.

Quodò tantoperè pervulgata fuit hujus illustris Catharinæ per urbem sanctimonia, ut cum Tyberis, IX die Novembris, tribus excrescens cubi-tis, horrendam civitati perniciem actutum irrogaturus videretur, à prima-riis

riis honorifice invitaretur matronis, ad procedendum fluctibus obviam, Deumque pro inundationis discrimine avertendo, rogandum.

In Scaniâ verò sub tempus veris, Nicolaum illius Antistitem, fata sustulerunt, & Magnum ipsi protinus subrogarunt.

Anno MCCCLXXX. Haquinus Orcadas in feudum conferens Henrico, à S. Clara ipsum honore Comitis, insignivit. Illic autem prius fuerat, Haquini cliens beneficiarius, Erengislo, Suecus natione. Deinde Calendis Majis, diem Haquino mors dixerat, & Olaum fors ad thronum Norvegiæ provexerat, Sueoniæ prætereà inhiantem.

In synodo Birgerus, Sueciæ Archiepiscopus, Telensi, XI Septembris, sub anathemate prohibet, violenter in ædibus diversari parochorum; judicia illic celebrare; mulctas Præsulibus debitas levare; & colonos Ecclesiarum molestare.

Lucretius admodum præsens exstitit annus, Jenecopiæ, Scaræ, Aorfiæ, & Oerebrogiaæ urbis, in Sueciâ, Gothiâque igne consumptis. Sed incendio periculosis flagrat civili Stocholmia, ubi fortunis suorum invidentes convivium Germani, ipsos spoliandi ab Alberto veniam flagitarunt, nec impetrarunt, quod totius in se vicissim regni formidaret conjurationem.

D. Catharina suis adhuc votis contrarium experiens Urbanum, III. Octobris, libellum à Reginâ Siciliæ supplicem impetrat, quo illa mortuos ad vitam revocasse, S. Birgittam asseverat, & omnibus contractos nervis, Neapoli sanasse confitetur. Illi quoque super eodem fiunt supplices negocio, Margareta, Daniæ & Norvegiæ Princeps, Olausque filius. His ideo impulsus precibus Urbanus, eam semel duntaxat admisit causam in Consistorio ventilandam. Et demum permisit, ut S. Birgitta, tumulo Vasteni levata, in loco Ecclesiæ decenti, eminentique, collocaretur honoranda, donec schismate sublato, ad ipsam procedere liceret apotheosin. Itaque Domina Catharina, domum protinus reversa, maternæ festivitatem elevationis, Vasteni anno consummat proximè sequenti.

Anno MCCCLXXXI. Rex Danorum Olaus, paternis in Norvegiâ ex equis peractis, regni sceptrum jure capessit hæreditario, & mater versutissima mulier ab incolis extorquet sponzionem, quod Daniæ perpetim sub uno Rege Norvegia esset imposterum adhæsura. Hoc primordium triplicis vinculi, quod infasto nunc omne Dani, collis Noricorum, & deinceps Suecorum callide injecerunt, multo prius tempore utrisque destinatum.

Albertus verò Sueciæ Rex, hunc perniciosum tempestivè præscisurus nodum, ex Scaniæ occasionem captat recuperatione, incolis arma comminans, nisi quantocyùs ad obedientiam Sueciæ redirent, vel argentum refunderent, olim propter ipsos à Suecis expensum, idque cum fœnore, & mulatarum, damnorumque multiplicum satisfactione. Proinde Scanorum Proceres, cum Legatis Scheningiæ Regiis congressi, post diutinas utrinque altercationes, annuas, & trimestres obtinent inducias, spaciumque liberandi.

Anno MCCCLXXXII. Induciis evolutis, cum Scani nec precium, nec preces offerrent, Albertus illos armis pervadit. Tuvonem provinciæ Dinaстam, profligat; arcem illius Tistrupsensem expugnat, & Petrum trucidat Tuvonis fratrem, viætrices deinde copias domum reducens.

In absentiâ verò Alberti, Boëtius Jonæ, Prorex Sueoniæ, bellum gerit domesticum cum prænobili viro, Carolo Nicolai Equite, quem Stocholmiæ in Ecclesiâ Franciscanorum captantem refugium, prope summam illic aram, crudelissime non veritus est maectare, inque frusta difficare, quorum exhibet cippus numerum, quo sepulchrum Caroli ibidem hodiè instratum conspicitur.

Anno MCCCLXXXIII. D. Catharina Vasteni , XXV Martii, beatum Creatori spiritum tradidit , & membra post triduum terræ restituit.

Sed, XI Maii, Birgerus Sueciæ Primas , S. Catharinæ familiarissimus , illam mortis eâdem compulsus violentiâ, subsequitur, pedumque assignat Henrico.

Magnus Danorum Archimyſta , synodo Malmogiæ finitâ, B. Magnil dem , à propriâ olim nuru occisam , de cæmiterio transtulit Follerostensi , Lundiam.

Interim Albertus, bellum in Scanos renovat , Hallandiam simul infestat ; Lagoholmum occupat. Verùm intelligens, Scanos Danorum & Vandalorum, succinētos agminibus adventare, in Sueciam recessit. Deinde subverens , nè Proceres suæ infesti perfidiæ , ad Olai secederent castra , mense Septembri, cum ipfis , & potissimum Boëtio Jonæ opulentissimo , Gripsholmiæ rediit in gratiam , confitendo palam , quod regnum indigenarum felicius consilio, quam alienigenarum gubernaretur, & ordinum subscribens denuò privilegiis. Upsalenses quoque sibi devincturus, illicis capacius adornandi forum , impertit facultatem.

Islandi spondent Olao primum subjectionem , qui edicto per Norvegiam publicato , vetat , nè quis mercaturæ daret operam, nisi XV. de suo peculio marcas possideret, nevè conductis , sed propriis , negotiarentur institores navigiis, illud lucrum habituri , quod præriperent illis alienigenæ.

Anno MCCCLXXXIV. ut mercatores ea propter variis abundarent mercibus, mandat res venales Finmarchensibus, & Helgelandensibus , non aliò , quâm ad civitatem deferre Vagensem , Romsdalensibus Vedoniam ; Nundalenibus, Nidrofiam ; & Sundmorensibus, Bergense ad emporium.

Vastenenses tandem ab Urbano VI. privilegiis ordini necessariis Brigittino , donati , XXIII. Octobris, initiantur , & per S. Nicolaum, Lin copensem Episcopum, viri, foeminæque , in separatis sub clausuras ducuntur cœnobiis. Illis autem confessor præscribitur generalis, Magnus Petrius, S. Birgittæ quondam facellanus ; Et his prima datur Antistita inaugurata , prænobilis virgo , Ingerdis , S. Birgittæ de filiâ neptis, Meretâ.

Hujus quidem opulentissimi olim cœnobii fundationem , & dotationem , sibi jure Brigittina vendicat familia; Nihilominus tamen & alios agnoscit benefactores, quos inter Nobilissimus ille Boëtius Jonæ, qui amplissimum hoc anno prædium, Quisberga, ipsi legavit; pro fabricæ comple mento , CC. argenti libras ; pro fenestris L, atque Ecclesiæ ornatu totidem, in quâ suam quoque delegeret sepulturam.

Cœnobitæ vicissim benefactoribus gratitudinem exhibuti, pro mortuis, XXIX. Januarii , XI. Julii, & II. Decembris; Sed pro vivis , ante Pascha bis , semel in Pentecoste, XXIV. Junii; Calendis Juliis; ac VII. Octobris; vota precesque Deo quotannis offerebant. Pro suis quoque vitâ funeris, anniversaria haberent sacra contubernalibus; XXVI. Aprilis, XIII. Julii; & XIX. Octobris. Demum encænia Ecclesiæ , XVI. Octobris , & solennia reliquiarum, IV. Augufti, peregerunt.

Anno MCCCLXXXV. Cùm Vandalici Scaniam institores, XV. possident annis, incolæ non memores amplius fidei, Sueonibus olim præstitæ, Olao Lundia , mense Maijo, jurant obedientiam , privilegia Ordinibus liberaliter roboranti. Quod ipsum, X. Julii, Albertus exhibuit beneficium Sueonibus. Nova Vastenensium Antistita , ternos expedit Romam Oratores, apotheofin S. Birgittæ promoturos, patrocinio illos Cardinalis Nucerini , Alphonsi Gjenensium Præfulis , & Panispernensium commendans virginum , simulque Alphonsum invitans ad elimandam & illustrandam D. Birgittæ apocalypsin.

Anno

Anno MCCCLXXXVI. Ditissimus Sueoniæ Prorex Boëtius Jonæ, proximus morti, condidit testamentum, ipsius constituens executores, regni nobilissimos Optimates; Ericum Catilli, Marschalcum; Birgerum Ulphonis; Stenonem Benedicti; Erengislönem Nicolai; Ulphonem Jonæ; Arvidum Benedicti; Stenonem Stenonis; Turonem Benedicti, Equites, Canutum Boëtii, Lincopiæ Cantorem; Carolum, & Algotum Magni; Thordonem Bonde; ac Gregorium Benedicti. Deinde, XX. Augusti, opibus, & mundo valedicens, Västni humatur. Is Regi prægrandem argenti summam mutuaverat, hypothecæ loco tenens suo præsidio, primarias regni munitiones, Nycopiam, Calmarniam, Abogiam, Viburgum, Caſtelholmium, Rasborgum, Orestenum, Tavasteburgum, Oopenstenum, Kryseborgum, & Forsholmum, cum subjectis regionibus.

Henrico, Jutiæ australis Duce, in hac ultimo progenie fatis sublatu, Slesvicensis ad Daniam redit Ducatus, quem Olaus, consensu matris, illa Gerhardo, Holsatorum Comiti, assignat lege, quod consueta inde obsequia regno identidem exhibiturus, Ducalique imposterum esset eminentiā gavisurus.

Anno MCCCLXXXVII. Nobilissimæ Princeps indolis Olaus, Danorum & Noricorum Rex, ignotâ occumbit morte, dolo fortassis materno procuratâ, cùm Margareta regnandi fuerit cupidissima. Exta vero Regia Lundiæ coram Deiparæ ara fuere deposita, & funeris reliquum Soræ, juxta materni avi proavique tumulos. Ita Regum vetusta Suecorum cessavit progenies mascula, quam fœminea deinceps per Sueciam, Daniam, & Norvegiam instauravit.

Proinde orbos Rege thronos cœpit Margareta sedulò ambire, Danique ab illâ non difficulter persuasi, mense Augusto, ipsi sceptrum, Alberto, Valdemari nepote, de filiâ seniore iterum excluso, porrexerunt. His illa principiis animosior facta, Sueones sibi alicere contendit, quibus etiam, vivente Haquino & Olao, se insinuaverat, & tandem primarios regni Magnates, & potissimum testamenti à Boëtio Jonæ conditi executores, diuturnam Alberti tyrannidem pertæsos, acquirit seftatores, ut præcipuis Sueciæ munitionibus horum favore potita, facilius Alberto reliquas eriperet.

Anno MCCCLXXXVIII. Algotus Magnisonius horum unus Procerum, V. Januarii, in Echolmeni castro Margaretæ consignat Orestenum, & Oopenstenum cum Marchiâ Chindiaque Vestrogothiæ, sponsans literis, juramento, & fidejussoribus, quod ex his Reginæ militaturus, illaque mortuâ, de beneplacito Roschildensis, Ripensis, & Arhusiensis, in Daniâ Præfulum, easdem esset gubernaturus. Unde manifestum, quam Margareta servitutem diu Sueonibus fuerit machinata!

Nec minus etiam Norvegis, quos ideo primum inescatura, Norvegiam ingreditur, ubi suam insinuans factam apud Danos electionem, & cum Suecis molitionem, simulque revocans in memoriam iisdem promissionem, de uno cum Danis Rege nominando, Norvegiæ consequitur habendas. Quamvis Albertus Sueciæ Rex, Henricus, & Magnus, illius fratres; Haquini penultiimi de filiâ Ingeburge, pronepotes legitimi Norvegiæ forent hæredes. Quos propter crebras huic regno clades ab illis, & parente illatas, per sententiam consiliariorum, sénis ante Pascha septimanis, Achershusii iniquè prolatam, hæreditariâ spoliat jurisdictione, & Henricum suæ nepotem sororis, Vartislai VII. Pomeranorum Principis filium, sibi eorundem consensu designat successorem, ejusque posteros, vel fratres, aut patruos, cognatosve. Ita Pomerani amore sublimantur Margaretæ, & illius furore Megapolenses

concultantur, adeò quòd etiam Albertum, ex odio in hanc familiam fororis filium, illo etiam non dignata sit honore.

Simul præterea comperiens Haquinum Joannis, Drossatum Norvegiæ, prosapiâ veterum in Norvegiâ Regum esse oriundum, & subveniens, nè Pomeranis diadema præriperet, triduo post in eandem votum arcem, suam cogit abjurare jurisdictionem, alias indè nequaquam exiturum. Acherhusio autem profecta Bohusium, ibi cum XII. Sueciæ Proceribus, ita quoque transegit, octiduo ante solennia Paschæ, quòd regno esset potitura, & in primis regionibus, ac munitionibus, Boëtio Jonæ oppignoratis, cum Ringstaholmio, Romleburgo, Stegeholmio, argenti, cupri, & ferrifodinis. Deinde iidem Vandalicas Reginæ machinationibus civitates reddituri propensas, privilegia illarum in Sueoniâ confirmandi potestatem ipsi delegant. Ut etiam fautores haberet Hollatos, annuos illorum de cuprifodinis proventus, ob navatam olim Sueoniæ operam, ejusdem submittunt arbitrio.

Qui Bohusio postridiè cum literis vicissim Reginæ roborantibus liberalissimè Sueonum privilegia, Daleburgum, ad Ericum Ketilli Marschalcum properarunt, ejusque auditio suffragio, Nycopiæ reliquos converunt Optimatum. Illic verò datas & acceptas ponderant aliquandiu conditiones, ac demum IV. sanctissimæ Pentecostes die, cum absoluto Birgerum Ulphonis, & Stenonem Benedicti, responso, ad Margaretam remiserunt.

Nec latuere Albertum molitiones, eas propter Margaretæ vehementer insultantem, quòd ea scilicet non contenta sibi Scaniam injustè occupasse; Daniam fororis eripuisse filio; Norvegiâque Albertum & Germanos suos proximos hæredes privasse, nunc etiam ex Sueoniâ se nitetur per factiones exturbare. Quocircà parum fidens indigenis, ex alienigenis fermè immensum parat Rex Albertus exercitum. Quem unà secum in hostes fuerant ducturi, Ericus filius, Bugislaus Stargardiæ, Gerhardus Holsatiæ, & Otto Rupinenium, Principes, quibus alii Comites, Barones, ac Equites non pauci, accessere bellacissimi. Atque in primis scommatibus, & sarcasmis decertat, Margaretæ secretas cum Sorenium Abbate, libidines exprobrans; sexum Veneris arti, non idoneum marti, objectans, cotem ipsi prolixam, hodie in Ecclesiâ suspensam Roschildenf, destinans, quâ gladios, hastas, & bipennes esset præacutura; & demum sancte protestans, non priùs se cucullum, capitis Regii illo ævo tegumentum usurpatum, quâ Reginæ perfidiam mulctasset; Scaniam recipræasset; Daniamque & Norvegiæ occupasset.

Verùm hujusmodi contemnens Margaretæ suggillationes, ex Germanis, Norvegis & Danis (quibus præficitur Ivarus Lycke) Gothisque ac Sueonibus (quorum fuerat ductor Ericus Chetilli) lectissimas producit copias in Falbogiam Vestrogothiæ. Quas autem, XXI. Septembbris, illuc audaciùs, quâm prudentius Albertus invadens, profligatur; cum filio, & primariis commilitonum captivatur; Reginæque Bohusii præsentatus, votivo per ludibrium donatur cucullo, ad suscipiendos de fonte liberos, ex Sorenis genitos Præsule, invitatur; Elsburgum, & Axvaldium resignare compellitur; & tandem septenni mancipatur custodiæ, in castro Lindholmensi, quot ille annis tenuisset avunculum olim Stockholmiaæ, captivum. Hæcque remuneratio est Divina!

Interea cum ligneo Västenensium cœnobio, ignis conflxit, quòd deinceps totum ex lapide coctili, & sectili eleganter fuit instauratum.

Anno MCCCLXXXIX. Johannes, Megapolensium Dux, patruum de carcere liberaturus, instructissimâ Scondiam versus navigat classe, auxilio

Rostochensium, & Vismariensium, comparatâ. Sed naufragio jacturam illius passus, suasu eorundem, innumeram ex mari occiduo, in Balticum evocat piratarum colluviem. Quæ Sueones, Danos & Norvegos, infestatura, & refugium Rostochii, Vismariæque, ut etiam spolia illic deponendi, ac distrahendi, potestatem esset habitura.

Ab his proinde Scandiani prædonibus, multum damni toto passi se-  
ptennio, & præfertim Sueones. Qui præterea domi à Germanis, atque Da-  
nis, continuò regnum obvagantibus, deque illo concertantibus, crudeliter  
divexantur, adeò quod aratra jugo permutasse censerentur. Plus tamen re-  
liquis Sueonum affliguntur Stocholmenses, ad quos, velut munitissimâ ha-  
bitantes urbe, Germani catervatim ex aliis regni ditionibus, profugerant,  
indeque crebrò eruperant, accolas Meleri lacus, potissimum molestantes.  
Illi verò commeatum piratæ tenebantur importare, & hinc Fetalianos se  
appellarunt, quasi virtualium provisores.

Germani Stocholmiaæ negotiatores, sibi nunc oblatam rati occasionem,  
suum pervetus in concives Suecos odium explendi, opesque illorum di-  
ripiendi, apud militem vocant popularem opulentiores & potiores Sue-  
onum, in suspicionem prodendæ urbis hostibus. Quocircà insontes abri-  
piuntur ad carceres, ubi gravissimè torti, in protestatione perseverant suæ  
innocentia; & tamen illorum plurimi, nocte XI, & XII Junii dies inter-  
cedente, in propinquam cymbis insulam transvecti, per summum scelus  
concremantur, bonaque confiscantur.

Interim Margaretæ cohortes, alibi Sueticarum invigilantes ar-  
cium expugnationi, Calmarniam deditione consequuntur, & Regina  
in Norvegiam excurrens, ab incolis novam Henrici extorquet electio-  
nem; Quem suis minorenem educatura moribus, ex Pomer-  
nia mox advocat, & illum Sueonibus, ac Danis acceptiorem reddi-  
tura, Ericum nuncupat, Henricum prius ex avo dictum materno. Simul  
etiam Margareta, de Christi regno solicita propagando, cum Magno,  
Lundenium Præfule, Lappones, VI. Augusti, suo hortatur diploma-  
te, ad suscipiendam & fideliter colendam Christi religionem.

Anno MCCCXC. Theutones Stocholmiâ erumpentes, Nycopiam,  
& Arosiam multis afficiunt cladibus, illarumque accolas, & plebecula, perito  
destituta antesignano, prope Enecopiam eosdem aggrediens revertentes,  
illic frequentissima occumbit, locoque certaminis indit vocabulum.

Cæterū mortuo nuper Urbano VI. Bonifacius IX. subrogatur; A  
quo libertate donatus Adamus, Cardinalis Angliæ, memorque voti S.  
Birgittæ in vinculis nuncupati, Vastenenses literis hortatur, ad urgendam  
denuò illius apotheosin, liberaliter patrocinium spondendo.

Illustris quondam Orcadenium Comes, Erengislo Sunonis, peractâ  
vitæ fabulâ, Vasteni, XXVI. Decembris, tumulatur.

Verū II. Martii, Antistes Lundenium, Magnus, de ponte lapsus  
Ahusensi, exspiravit, & Petrus infulam acceptavit.

Anno MCCCXCI. B. Nicolaum, Ostrogothiæ religiosissimum mors  
abripuit quoque Præfulem, cum vigilantissimè suo functus esset officio  
annis XVII. interim Canonicis ad residendum Lincopiæ compulsis, &  
LXV. vixisset, illique Canutus Boëtii, Sturorum juniorum contribu-  
lis, fuit substitutus.

Magnus Vastenensium generalis Confessor, suasu Cardinalis Adami,  
aliorumque S. Birgittæ faventium hortatu, Romam profectus, cum lite-  
ris Margaretæ, ac Consiliariorum supplicibus, illius strenuam navat ope-  
ram canonizationi, promotoresque illic adhibet, præter Adamum, bi-  
nos urbis nobilissimos viros, quorum unus de sacro se levatum fonte

per S. Birgittam , & alter vitæ per eandem se restitutum , coram Bonifacio palam conferentur , ejus flagitant apotheosin. Illorum proinde , aliorumque intercessione perplurium , motus Bonifacius , apocalypsin S. Birgittæ clam , palamque curat in primis operâ doctissimorum hominum discutiendam. Deinde horum insuper censurâ impulsus , IV. Octobris , S. Birgittæ promulgat canonizationem , post triduum celebrandam. Pro qua Magnus interim solennitate , C. faculas , D. cereos , & XV. milia lampadum , queis omnibus Ecclesia S. Petri , ac palacium , essent decoranda , ut etiam lautissima pontificio necessaria convivio , esculenta poculentaque comparavit. Biduo autem intermedio , manè vesperiique , omnibus urbis campanis festivitas denunciatur , & VII. Octobris die condicō illucente , frequentissimus hominum concursus , unā cum Pontifice ad basilicam fit Vaticanam ; Ubi sacris de S. Birgitta peractis , suggestum foris conscendit sublime Bonifacius , ac propalam catalogo divorum , illam inscribit. Demum Pontifici valedicens Magnus , elegantissimum ex XXX. nobulis Anglicanis illi donavit chrysendeton.

Petrus , Scaniæ Antistes , XXXI. Decembris , morti succumbens , orbam Jacobo transmisit cathedram Lundensem.

Anno MCCCXCII. Margareta Stocholmiam , hostium veluti nidum meditans expugnare , nē interim Holsati Daniam infestarent , Vordingburgi mense Julio , cum Gerhardo , Slesvicensium Duce , ac Comitibus Holsatiæ , suo , successorum , & trium nomine regnorum , perpetuam stabilit amicitiam. Deinde secura domi , binis Stocholmiam castris obsidet , operâ illustrium virorum , Abrahami Brodersonii , & Algoti Magni. Unde Fetaliani nimium exacerbati , Scondianos passim deprehensos , truculenter affixerunt. A quibus ut lytrum grandius extorquerent citius , illos vase quodam præacutis undique clavis obsito , circundant , nec sedendi , nec cubandi , captis præbente potestatem.

Anno MCCCXCIII. Dux Megapolensium , Johannes , Stocholmensibus opem latus , grandi adnavigat classe , auxilio Vismariensium , & Rostochiensium , conflatâ. Sed accessu prohibitus , in continentem descendit , & adversario potitus propugnaculo , ad urbem liberiū appellit ; Quam necessario adjuvat commeatu , ejusque fretus subfido , secunda hostium castra invadere decrevit. Quocirca Sueones , in illis suæ diffidentes potentiae , cum Johanne annuas pacis cunctur inducias , ac deserunt obfisionem , intereaque liberandi Regis , utrinque adminicula essent circumspecturi. Ideò reversus domum Johannes , Vandalicas in consilium adhibet civitates , libertatem quoque Alberti Regis desiderantes , ut Oceanus non diutiū à piratis infestaretur , & legatio ad Margaretam propterea decernitur. Hinc multi Fetalianorum , bello finem impositum iri arbitrantes , occiduum invaserunt pelagus ; Bergam , opulentissimum Norvegiae emporium , divitiis nudatum , exusserunt , & LXXX. illorum capti , promeritas luerunt pœnas.

Atqui Västeni , festo sacratissimæ Trinitatis , nempè XXVIII. Maji , numerosissimâ hominum inspectante multitudine , S. Birgittæ apotheosis in regno solennissime consummatur. Quando etiam Canutus , Ostrogothiæ Candidatus , per regni Archipræfulem , fuit inaugurus.

Inde verò Margareta Vordingburgum Daniæ secedens , VI. Julii , anniversarium pro sua & parentum animabus , instituit sacrum , in Ecclesia celebrandum Deiparæ. Quo rite decantato , scholaribus unus cerevisiæ catus , & panes C. forent distribuendi.

Anno MCCCXCIV. Helsingburgi , Augusto mense , oratores Magnipolensium , urbiunque Vandalicarum , Reginam super liberatione Alber-

berti, compellarunt. Verum ante primordium actionis, inter ipsos & Danorum quosdam, in plateis subortâ corrixatione, cæditur Sundensium Proconsul. Ideò Legatorum reliqui, cum infecta re, domum certatim dilabuntur.

Quamobrem Margareta, tempore induciarum exacto, Stocholmiam iterum armis impedit Suecorum, urbique commeatum Fetaliani necessarium subministraturi, cum VIII. sub brumam navigiis, in fauces deferuntur. Illa verò ibi progressu & regressu à glacie prohibita, miles Reginæ invasurus, aquis plurimus obruitur, tenuissimâ post incisionem glacie, in circuitu navium instratis, & piratæ veris initio, citra discrimen, Stocholmensibus advehunt commeatum.

Margareta, Patrum Lundensium subscrabit privilegiis, & XXV. Martii, Vastenensium Confessor, comite Olao Andreæ, suo contubernale, cum literis Reginæ commendatitiis, in quodam sui Ordinis negotio, iterum Romanum contendit.

Anno MCCCXCV. Dux Magnipolensium Johannes, de patrui admidum solitus adhuc libertate, cum Legatis Magistri Prutenici, & X. Vandalicarum oratoribus civitatum, renovatâ nuper actione intermissâ, in primis Falsterbogiæ, Helsingburgi deinceps, & demum Lindholmii, de Alberti cum Danis solutione, disceptat, eamque tandem, exeunte Octobri, his impetrat conditionibus: Rege libertati pristinæ restituto, per triennium à bellis utrinque est cessandum; Interim liberè utrobique negotiandum; Quod in Gotlandiâ haëtenus ab utriusque partis sectatoribus occupatum est, tantisper retinendum; Et trieteride absolutâ, vel Alberto ad eosdem remeandum carceres, vel LX. millibus librarum argenti mercandum libertatem, aut certè Stocholmiam, Margaretæ, cum universa in Sueoniæ jurisdictione, assignandum.

Atque unam harum conditionum spondentes, Regem Vandalicæ urbes amplexurum, ab illo in pignus acceptant Stocholmiam, non eâ quidem intentione, ut Alberto pactis non respondente, illam Reginæ pandarent à sponsione ita liberandæ, verum ut numerato Margaretæ potius argento, urbem Sueciæ regiam, orbemque sibi deinceps usurparent; Et ideo suscepitam mox suo firmarunt praefidio Stocholmiam. Calendis verò Novembris, Albertus vinculis exemptus, Megapoliam adivit, & filius Ericus, Gotlandiam, quam novo muniit propugnaculo, & bina illius nomine, priùs Visbygii Dux Johannes patruelis, ac Sueno Sture, occuparunt praefidia. Hic plurimos fovit piratarum Ericus, quorum confidit auxilio se postmodum Sueoniæ restitutum iri, velut etiam subfido Bugislai V. Duciis Pomeraniæ, cuius propterea filiam duxisset in conjugem. Sed Erici frater Albertus, Margaretam, Johanne Norenbergensium natam Burgrabio, asciverat uxorem, suam despondens germanam Johanni, Moraviæ Marchioni, Richardem.

Verum Margaretæ his obviam itura molitionibus, subdolè Sueones sibi devincit, à quibus unanimem hoc anno sui consequitur electionem, illorum legibus, privilegiis, libertatibus, & consuetudinibus, liberaliter subscribens, & insigniter ipsos deludens. Etenim sanctè spoondit, indigenis se Consiliariis, Officialibus, Toparchis, Castellanis, & Prætoribus, solum usuram; Et tamen Danis, Germanis, Italies, Anglisque, hujusmodi commendarat officia. Qui Sueones postmodum continuis exhauserunt contributionibus, in Daniam transmissis, quam Margaretæ dominam, & Sueciam, Norvegiamque, decreverat ancillas. Itaque divitiis Suecorum & Noricorum opulentior effecta, Ecclesiis per Daniam cathedralibus, illarumque Episcopis, liberaliter hoc providerat anno de redditibus, nè clerum

diutiū consuetis affligerent censibus , qui imposterum illis cathedralicū duntaxat effet soluturus.

Anni MCCCCXCVI principio , Margareta in conventu Ordinum Viburgi , suo , & Regis nomine minorenne , severo inhibet editio , novas per Daniam erigere munitiones ; fovere proscriptos ; fundos emere regios ; naufragis merces eripere ; ac illegitimis negotiari portubus . Sicut etiam mandat concordem Erici designationem ; fundorum iniquè sublatorum cincunque restitutionem ; piratarum exterminationem ; diversiorum passim publicorum designationem ; pacis in Ecclesia , judicio , fœminis , agricultoribus , concessæ ; ac cuiuslibet domo propriâ , observationem ; tandemque horum omnium sub vitæ & bonorum privatione , fidelem executionem inculcat . Viborgo autem profecta cum Erico Assentiam , vocatis illuc Holstiaæ Comitibus , defert Jutiæ sub feudo , & consuetis Ducatum obsequiis . Quem eâ recusantes conditione , pro militaribus poscunt servitiis condigna stipendia .

Verum tribus ante Paschæ solennia hebdomadibus , Henricus , Sueoniae Archipræfus , in concilio Arbogiæ provinciali , prohibito ab Ecclesiâ tempore , vetat nuptias celebrare ; intercalarem Februarii diem , anno bisexto jubet observare ; homicidium die solis perpetranti , eodem , quoad viveret , ab esu carnium abstinere ; Veneris die , idem committenti scelus , à carnis & piscibus ; Saturni vero die occidenti , ab esculentis mandat lacteis perpetuo se continere . Deinde VII. Octobris diem , S. Birgittæ dicatam apotheosi , toto promulgat regno solennem ; ac demum fulmen vibrat Ecclesiasticum , in viatorum prædatores ; pauperum oppressores ; & libertatis transgressores Ecclesiasticæ ; mulctatque parochos , ad sacrorum permittentes functionem , sacerdotes circumforaneos & peregrinos , citra Episcopi licentiam .

Margareta , negotiis Daniæ pro voto dispositis , Sueciam ingreditur , ubi mense Julio , regni Ordinibus in concionem contractis , suadet Erici designationem , prolixo commemorans sermone , illius progeniem à veteribus Sueciæ , Daniæ & Norvegiæ , Regibus ; commoda Scondiæ , uni subjectæ Regi exaggerans ; detimenta illi alias formidanda insinuans ; Erici à Danis , & Norvegis , electionem concelebrans ; Ac nihilominus Suecis , illâ superflite , Regem acceptare abnuentibus , promissum , anno MCCCLXXXVIII , à Procerum nonnullis , suo ex arbitrio successorem spondentibus deputandum , exprobrat sibi factum , minis subinde terrens , & mox demulcens blanditiis . His proinde Sueones coacti , infusa jugo inclinant colla gravissimo , Ericum in planicie Morensi , Regem , XXIII. Julii die , salutando ; ita tamen , quod illo minorenne , promaterter Suecis , Danis & Norvegis , effet dominatura .

Nycopiæ autem porrò incautos illaqueat Sueones , XX. Septembbris , quorum fatuo obtinuit illic consensu , Ostrogothiam , Vermelandiam , Vestrigothiam , Vefmanniam , cum metallifodinis regni quibuslibet , Chindiam , Marchiam , Daliam , Moringiam , & Dalecarliam , pro vitalitiis , ut vocant , bonis , liberam simul habitura facultatem , indè testandi , donandi , & oppignorandi . Sed fundi ab Alberto iisdem coronæ subducti modis , restituendi essent ; quælibet illius diplomata , suo spolianda robore ; Patritio per ipsum donati honore , ad plebejos revocandi , & novæ Optimatum arces , funditus evertendæ , nè scilicet illis obmuniti , ejus imposterum adverserentur tyrannidi . Quæ sub brumam cum triumpho in Daniam reversa , Erici per Scondiam publicat inaugurationem , Calmarniæ propediem frequentandam , subverendo nè alias mora prolixior , Megapolensibus diadema reportaret .

Anno MCCCXCVII. Sueonibus, Danis & Norvegis, Calmarniam confluentibus, in illorum Ericus præsentia, festo sanctissimæ Trinitatis, à Lundensi & Scarensi Præfulibus, diadema solenniter collatum, acceptat. Prius tamen datis & acceptis sacramentis, de fidelitate, ac legum, privilegiorum, consuetudinumque non violanda immunitate. Quorum deinceps ita fuerat observans Ericus, ut canis jejunii, sic edoctus à promaterterea, quæ hujusmodi non sibi duxit religioni perjuria.

Die autem Veneris sequenti, Ordines Scondiæ suis roborant literis inaugurationem, quos insuper Margareta oratione permovit subdolâ, ad consentendum perpetuæ, uno sub Rege, trium regnorum colligationi. Qui triplex infausto connexus sydere nodus, non minus Suecanæ & Norwegianæ intulit per sequentis ævi spacum, detrimenti, prô dolor, quam durius callidissimi Sinonis equus, reipublicæ quondam Trojanæ. Nec Dania interim fuit omnino indeminis, licet illius potissimum emolumento, hoc esset Scondiæ vinculum, à Margareta destinatum. Etenim Sueones & Norvegos, vel serò tandem suo de corio ludi animadvententes, & hunc Gordium rescindere nodum crebrò non infeliciter connitentes, Dani quandoque sub jugum compulsuri, non modicâ identidem clade à rebellibus, & præfertim Suecis, afficiuntur. Illi pro consueta libertate, jurium veterum immunitate; pactorum executione; intolerabilium onerum sublevatione; ac diuturnæ tyrannidis mitigatione. Hi pro dominii, lucri, encomiique assertione; cladium vindicatione; atque partorum defensione, quam acerrimè dimicarunt.

Sed omissâ enodatione, ad primam redeamus vinculi connodationem, cuius Margareta solam nocta, in Erici coronatione assensionem, non subscriptionem, post abitum indè Ordinum fermè omnium, XX. Iulii, ab Episcopis IV, & XIII. duntaxat Proceribus, literas impetrat, conclusos nuper unionis articulos enumerantes, confirmantesque. Illâ tamen additâ cautione, quod sena deinceps in membrana forent exaranda, ejusdem tenoris diplomata, ab Erico, Margareta, Consiliariis, Ordinibus, & urbibus Scondiæ universis, subscribenda, binaque illorum regno cuilibet tradenda. Verum Sueones, & Norvegi, machinatione demum compertâ Danorum, plurimis distulere annis subscriptionem, velut ex operis hujus progressu evadet manifestum.

Præfati autem colligationis articuli fuerunt hujusmodi: Sublatâ prorsus omni discordiâ, & pace amicitiâque restitutis, Suecia, Dania ac Norvegia, sub uno imposteriorum essent Rege perpetim cohæsuræ; propriis tamen legibus, privilegiis, consuetudinibus, libertatibusque fruituræ. Novus Scondiæ monarcha Ericus morte sublatus, unum filiorum consequeretur successorem, aliis, prout etiam filiabus, pro dignitate aliter providendum esset. Sin filium non relinquaret ullum, concordi trium regnum suffragio aliundè Rex esset designandus. In hostes sibi mutuo ferrent subsidia, commeatibus à regno indigente provisâ, & detrimenta quælibet Rege optulantibus compensante. Quæ in commodum ille regnum, nonnullis Procerum adhibitâ, statueret cum Principibus externis, rata & grata es- sent futura.

Hæc primaria unionis pæcta, quæ deinceps plurimum adaucta, non modico fortassis Scondiæ inhabitatoribus fuissent emolumento, si candidè observata, non Dania nimium reliquis dominata fuisset, quæ hinc locuples, illæ inopes evaserant; nec inclytam Sueciæ, Norvegiæque gentem confederatam, plus æquo afflixisset.

Interea temporis, Ericus Alberti filius, Erici contribulî sui contabe- scens successu, ut etiam conjugis, & infantis obitu, in Gotlandia moretur

hoc labente anno, mortique proximus, binas Visbycensibus ablatas restituit urbis tresses. Ibi postea captantes refugium reliqui piratarum, inde mercatoribus continua inferunt detrimenta, suorumque permotus querelis Conradus, Ordinis Magister Prutenici, IV. millia peditum, & aliquot turmas equitum, in Gotlandiam expedivit. Quam illi urbemque Conrado non difficulter subjicientes, prædonum antefignanos morte, alios vinculis mulctarunt.

Anno MCCC XC VIII. Dantiscum Rex Albertus proficisciens, de subactione Gotlandiae cum Magistro Ordinis graviter expostrulat. Sed responso accepto, quod piratis, insula publici commercii hostibus, quos Albertus sæpenumerò admonitus, non compescuisset, esset erepta. Ideoque citra sumptuum bellicorum refusionem, & damnorum à prædonibus irrogatorum satisfactionem, minimè esse resignandam, ejusdem consentit Rex venditioni, seu oppignorationi. Proinde Conradus, Alberto Vismariam reverso, aliquot millia numeravit illic nobolorum Anglicorum, quod sui non fuit juris, venundanti.

Ericus verò, & Margareta, Sueticæ jurisdictionis insignem adeò insulam, contra pactum anni MCCC XCV, indignantes venundatam, & armis frustrà illam recuperare conantes, Venceslao Cæsari queruntur injuriam. Qui partis utriusque rationibus, Helsingburgi, mense Septembri, per suos probè examinatis legatos, insulam Sueonibus adjudicavit, Cruciger IX. millia nobolorum soluturis. In vigesimum tamen annum ipsam Magister Prussiae deinceps possedit, quem inter & Ericum Regem, calendis ibidem Septembris, pristinum instauratur fœdus, & libera subditis utrobique populis negociandi datur potestas.

Verùm Albertus, termino sibi præfixo appropinquante, cum non placeret ad Lindholmenses remeare carceres, nec tantum argenti foret solvendo, tertiam amplectitur conditionem, se omni abdicans jurisdictione in Sueoniam, & fidejussoribus Stockholmiam Margaretae pandere amplius non recusans. Itaque mercatores Regis voluntate perceptâ, in habitu protinus conventi, decernunt in primis argentum Reginæ persolvere, Stockholmiam sibi usurpando, quod non modica sic videretur affulgere spes, Sueciæ reliquum subigendæ, quæ Danicæ admodum jam pertæsa foret servitutis. Sed tandem hostium potentiam, & martis formidantes inclem tam, Alberto suffragantur, ac XXIX Septembris die, Margaretae civitatem assignant.

Deinde illa, reliquias Alberti sectatoribus munitiones & regiones, eruptura, in castro Stecheni per suos transegit Commissarios, IX. Octobris, cum Suenone Sture, Henrico Thun, Arnoldo Styche, ac Ottone Setzomerio, in pignus ditiones Sueoniæ boreales obtinentibus, ut cis XXII. Octobris, Faxholmium, cum Helsingia & Medelpadia, Styresholmum, cum Angermannia, exeunte brumâ sequentis anni, & Krysborgum, cum Bothnia, tertiam post solennia Paschæ septimanâ, omnino resignarent.

Anno MCCC XCIX. Vismarienses & Rostochenses, quibus Margareta ob suscepitos hospitio piratas, vehementer succensuit, Conrado, Prutenici Magistro Ordinis, sequestro, urbibusque Vandalicis, gratiam illius recuperant, & privilegium quoque in Scondiâ consuetum.

Quapropter Margareta, cum finitimis pace nationibus firmata, Scondiotarum non subverens amplius rebellionem, ipsis, & potissimum Sueonibus, per summam occœpit avaritiam, perfidiam, tyrannidemque, dominari. Enimverò insuetis plebeculam continuò exaurit contributionibus, in Daniam unâ cum solitis regni censibus, thesauroque expeditis universo, versutissimos rapacissimosque Danos, & Germanos, præficit nostratis officiales, quibus, aliisque consimilibus, præstantiora regni consultit

tulit beneficia, indigenis contemptis & delusis; Jura, pacta & privilegia Ordinum impudenter conculcat; Literas, sigillaque propria, sine verecundia prævaricatur; Regni munitiones Suecis ereptas, hominibus demandat exteris, illamque sibi perfidiam exprobrantibus respondet: *Vobis sufficit mea, quod habeatis super his diplomata, quæ suadeo, ut conservetis, ego interim arces pro meo custodiā arbitrio.* Ita miseros egregie subsannatos, dimittens!

Cæterū cùm pauci haec tenus mortalium, se ordini manciparent Brigittino, idque propter formidabiles in prævaricatores Regulæ prolatas execrationes, ideoque minus ordo propagaretur, Bonifacius IX, à Luca Jacobio, hujus instituti sectatore, procuratore, ac protectore, rogatus impensè, suis mandavit literis Brigittinensibus, ut imposterum, non nisi in virtute obedientiæ, ad Regulæ, constitutionumque observantiam, adstringentur, & compellerentur.

Anno MCD. Nycopiæ Rex Ericus uno post Pascha mense, illas condidit, quæ passim circumferuntur, aulicas constitutiones. Quando etiam vacanti Vexionensium Ecclesiæ primus, canonice designatus, datur Antistes, Petrus Selandus, indè postmodum translatus Arosiam.

Porrò nunc per Ostrogothiam, mense Julio, tanta fuerat inundatio, ex largissimis nata imbris, ut molendina passim, & pontes natarent, hominesque ad editos profugi montes, alterum orbis formidarent diluvium.

Jacobus, Scaniæ Præsul, arâ S. Canuto Regi Lundiae fundatâ, impetrat visitantibus, & oblatione illam honorantibus, festo ejusdem martyris, tantas criminum condonationes, quantas Romæ invisentes, calendis Augusti, Ecclesiam in Portiuncula consequerentur. Similibus etiam donis impertit anno Bonifacius sequenti, accedentes hanc religiosè basilicam, XI Julii, festo nimirum ostensionis reliquiarum.

Canutus quoque, Lincopensium Episcopus, de sua benè meriturus Ecclesia, ipsius cœpit proferre fundamentum. Quod opus ad fastigium magnifice perduxerunt successores, hoc currente seculo, tres priores adjicendo choros.

Anno MCDII. Nutrix Olai, quondam Daniæ ac Norvegiæ Regis, Prutena, haudquaquam ignara mortis, quâ periisset olim Princeps, proprium informat filium, de secretis Margaretæ Olaique permultis, subornatque, ut pro illo se venditaret, cui esset similimus, prætexendo alium sui loco, mortem oppetivisse sibi destinatam. Itaque comprehensus jussu Margaretæ lustratur, & verucâ inter scapulas, quam illic habuisset Olaus, non deprehensâ, XXVIII. Septembbris, sub Falsterbogia, vivus rogo injectus exuritur.

Eschillus, Nidrosiensium in Norvegia consequitur Archiepiscopam.

Anno MCDIII. Gerhardus Dux Slesvicensium, & Comes Holsatorum, in bello cæditur Ditmersico, liberorumque tutores dolo seducti Margaretæ, australi Jutiæ inhiantis, Ericum Ducatus eligunt protectorem, & directorem deinceps illum experiuntur. Una verò filiarum Gerhardi Elizabetha, post obitum mariti primi, Balthasaris, Megapolensium Principis, nupsit Theodorico, Oldenburgenium Comiti, istoque propagati connubio, moderni Danorum Reges. Sed germana Elizabethæ, Ingeburgis, monastici Vasteni profitetur.

Ericus Lundensium subscribens privilegiis, Canonicos in Consistorio vicarium non habentes, binis argenti libris multavit, & Archipræsul chorum non frequentantes, vel Lundiae non residentes, pecuniis in ðdæo annuatim distribui solitis, privavit.

Aurum porro Crucigeris, ob Gotlandiam promissum, Ericus & Margareta, tergiversati numerare, illam armis potius decernunt recuperandam

## CHRONOLOGIAE SCONDIANÆ

40

dam, sub autumnum expedito illuc exercitu, cum Algoto Magni, & Abrahamo Broderi, viris pugnacissimis. Itaque subactam quinis obmuniunt castellis insulam, & civitatem vallo circundant, sibi patriæque gratulantes, Gotlandiæ recuperationem.

Confessor Vastenensium generalis, Ericus Johannis, Romanum profectus, syndicos Brigittini ordinis, mense Aprili, constituit, Lucâ Jacobi exautorato, Vilhelnum Leonem, Johannem Gramchau, & Stenonem Stenari.

Anno MCDIV. ineunte Februario, testantur quidam Procerum Suecicorum, legitimè Margaretam emisse Ringstadholmium, à Canuto Boëtii, sub coronam. Quod ipsum de Gripsholmo Canuti mater, & vidua Boëtii Jonæ, superstes Margareta Dufve suis confitetur, III. Maji, literis. Pro hujusmodi verò, aliisque regni necessitatibus sublevandis, cuilibet Margareta per Sueciam foco, marcam imposuit denariorum solvendam. Illi tamen assensum præbere noluerunt Antiftites contributioni, donec iterum sponderet Regina cum Erico, liberam Ecclesiis cathedralibus, Præsulum fore imposteriorum designationem, nec illis amplius obtrudendos alienigenas, huic, ut reliquis, minime satisfaciens sponsioni.

Interim Crucigeri Prussiæ, cognitâ Sueonum in Gotlandiâ grassatione, primo illuc vere nostris longè potentiores appellunt, hostibusque inde profligatis, illam suo firmant iterum præsidio. Unde Margareta, suæ pœnitens temeritatis, pacta cum adversariis restaurat; aurum promittit, illudque conflatura, novas Sueonibus imponit exactiones.

Clementior autem multò Vastenensium cœnobitis, Martio & Novembri mensibus, Margareta illis sub protectionem suscepit, specialem Regis Magni roborat donationem, suamque omnem consensu Erici, in civitatem & colonos monasterii assignat iisdem jurisdictionem, hujus gratiæ prævaricatores rigide plexura. Bonifacius etiam non minor hujus fautor religionis, priori per Confessorem Vastenensium anno, informatus de perniciose Margaretæ Abbatissæ regimine, bona cœnobii mobilia & immobilia, dissipantis, Petro Stregnensium Episcopo, causam demandat examinationam. Hoc itaque tempore Vasteni constitutus, culpæ illam deprehendit affinem, & officio privatæ, aliam subrogat.

Anno MCDV. mense Februarii, Hennechinus Bechmannus, & Nicolaus Guttormi, feudo castri Axevaldensis donati, pollicentur se illud Erico, vel Margaretæ, aut his demortuis, virgini Catharinæ, sorori Regis, resignaturos. Unde liquet Margaretam, throno Sueoniæ mulierculas etiam Pomeranas destinasse!

Primordio brumæ, Rex Albertus Flensburgi cum Ericò & Margaretæ colloquens, ipsis, omnibusque Scondiæ inhabitatoribus quaslibet condonat offensas, XXV. Novembris, ac stabilem iisdem & Holsatis spondet amicitiam pro se, hæredibusque, nunquam illos bello infestaturus.

Preciosum illud S. Erici, Sueonium Regis, scrinium, insignis Stocholmensium aurifaber Lambertus, eleganter admodum modò fabricavit, cuius solum deauratione DXXXIV. Anglorum cessere nobili. Indeque, velut etiam ex illius delineatione, quæ in aversa prope novum S. Erici loculum Upsaliæ, conspicitur hodiæ tabella, licet ipsum æstimare & admirari.

Anno MCDVI. Margaretæ Erico provisura uxorem, missis in Angliam Legatis, quorum primarius fuit Thuro Stenonis, natione Suecus, Philippam, Henrici IV. poscit & obtinet filiam, dotis nomine, secum in Scondiam nummum apportantem aureum, plurimis aureorum millibus æstimatum. Lundiæ autem Scanorum, nuptiarum peragitur festivitas, XXV. Octobris, & novæ nuptæ præficitur gynæceo Catharina, vidua Jonæ Hagtornesonii, Equitis Norvagici, neptis S. Birgittæ ex filia Mereta.

Sed

Sed XXIX. Septembris, Catharina, velut hæres legitima, confirmat Vastenensibus quælibet cœnobio, ab avia materna, avunculis, materteris, sorore Ingrida, & Petro Ribbing fratre, prædia quondam legata, unaque Schellenoriam Norvegiæ, quod Catharina dedisset fratris, testamento, ad se jure non pertinens, ac crebras progressu temporis, Suecos & Norvegos inter, generans controversias.

Anno MCDVII. XVI. secundum Paschardie, potissima Stockholmæ portio, horribili conflagravit incendio, pereuntibus in illo simul ex sententia nostratum Chronographorum, CD; verùm juxta Crantium, MDC. hominibus.

Nobilissimus æquè ac literatissimus heros, Carolus à Tofsa, regni Marschalcus Suetici, artiumque Magister liberalium Parisiensis, & patrii juris peritissimus, XVII. Novembris, in fata concéssit. Atqui octiduo illum præcedens Catharina, S. Birgittæ neptis præmemorata, Vasteni tumulo mandatur. Ubi etiam funus Caroli post biennium requiem nanciscitur.

Mariedalense in Livonia, prope Revaliam, prima sortitur cœnobium exordia Brigittinum.

Anno MCDVIII. Henricum Sueoniæ Archimystam, XIV. Aprilis, in castro sub Enecopia Marieburgensi, fata sustulerunt, illique M. Andreas, Upsalenium Præpositus, fuerat concordibus Patrum suffragiis, in cathedra mox substitutus. Reliquit verò Henricus, insignem Ecclesiæ thesaurum, quem inexplebilis Margareta avaritiæ, per vim sibi protinus usurpavit.

Causam, dubio procul, huic Regina prætexuit expilationi, quod redemptio infilæ Sueticæ plus auri posceret. Itaque cum IX. illa nobulorum millia, his & aliis corrasisset de Sueonia modis, Calmarniæ, XXII. Novembris, ea Magistro Crucigerorum numeravit, Gotlandiam post decennium restituenti. Nec auro solùm Ericus, ac Margareta, Sueciam emungunt, sed etiam veteribus Regum diplomatibus documentisque spoliant, quæ hoc anno per regnum undequaque corrasa, in Daniam expediuerunt, simul fortassis proprias Sueonibus datas obligationes, ut illis prælibidine, citra metum deinceps dominarentur, transmittentes.

Anno MCDIX. Margareta, velut pater Valdemarus, proferendi limitis Danici, admodum studiosa, Ducatum Jutiæ meridionalis, subiectum Holsatis, patriæ hactenus conata est restituere, sibi & Erico post obitum Gerhardi, protectionem ejusdem arrogando. Sed tamen hoc lentius adminiculo se compotem fore voti considerans, munitiora in illo loca quædam emptionis, nonnulla jure pignoris, sibi sensim cœpit acquirere. Quocirca tutores pupillorum, adeò periculose obviaturi tempestivius molitioni, auxiliis undequaque contractis, quasdam illic Danis urbes & arces eripiunt.

His verò in occursum Ericus, copiis Suecorum, Danorum & Noricorum, succinctus properans, Norburgum expugnat, ac Sunderborgum arctissimâ ligat obfidione. Sub qua, suorum commilitonum primarium, Abrahamum Brodersonium Hallandum, quod Margaretae plus æquo dilectus existeret, sub prætextu fortassis aliorum criminum, V. Septembris, capite mutilavit, ignorante ac plurimum indignante deinceps promaterterâ.

Idem potentia & opulentia fuit Abrahamus insignis, in feudum à Regina obtinens amplissimas Sueciæ ac Daniæ regiones, munitionesque, Trulleburgum, Openstenum, Pixburgum, Oerestenum, Lagaholmum, Varbergum, Konungzbachium, & Falchenbergum. Qui aram Ro-

## CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ

42

schildiæ X. millibus SS. Militum, fundavit, ac liberalissimè dotavit.

Initio autem Octobris, primas aspicerat hujus lucis auras, Carolus, patre Canuto, Finlandorum Gubernatore, & matre Margaretâ, Regum Erici Suecorum abnepte, atque Valdemari I. Danorum, tri-nepte, procreatus.

Anno MCDX. Jacobus Danorum Archiepiscopus, XVII. Aprilis, mundo valedicens, Petrum Kruse nanciscitur successorem, qui spondet ex consensu Assessorum, Ecclesiæ Lundensis præficiendos imposterum arcibus Prætores.

Ex Uplandia Sueonum, in Ostrōgothiam, prælustris viri, Caroli à Tofta, & Helenæ confortis, funera religiose translata, in Ecclesia conduntur Västenensi.

Ericus, Carmelitis ex Germania in Scöndiam primùm accitis, Lanscroniæ Scanorum, magnificum erexit illis domicilium. Eoque adventantibus iisdem cum solenni obviam procedens supplicatione, in monasterium perducit.

Idem quoque binas denuò turres Visbycensibus subducens, validissimum ex illis castrum in Gotlandia fabricat Visburgense, laboribus Sueonum præcipue consummatum.

Sororem deinde Catharinam, Johanni, superioris Bavariæ Palatino, Roberti Cæsaris filio, despondet, & dotem XL. millia florenorum spondet Rhenensem, post nuptias, proximo XV. Augusti die celebrandas, persolvenda.

Verùm, XVIII. Augusti, Adolphus, Schovenburgensem Comes, Holsatis stipatus, regiasque ex infidiis copias, sub Flensburgo incautiū contendentes, invadens, illarum MCD. trucidat, & CCCL. captivat. Itaque Ericus & Margareta, rebus suis diffidentes, consensu adversariorum, controversiam arbitris submittunt decidendam, interim captivis libertate donatis, & armis utrinque depositis.

Ac licet multoties, arbitrio sequestrum hæc esset dissensio permisfa, tamen integro Erici regimine perduravit, Holsatis parta tuentibus, & Danis amissa repetentibus, Suecorum & Norvegianorum subfido. Horum siquidem non pecuniis duntaxat ex Sueonia & Norvegia congestis annuatim, & in Dianam egestis cumulatim; Sed etiam illorum sanguine Margareta, & Ericus, non paucas arces, villas, oppida, ditionesque crebrò Daniæ compararunt, gravissimis confœderatæ gentis, in militia frequenter suscepit, satisfacere detrimentis, ex vigore unionis, præcisè tamen abnuentes.

Nè autem reclamandi, multò minus potestas illis sub jugo intolabili daretur rebellandi, non tantum Danos ipsis Politicos ubique præfecerunt præsides; verùm etiam passim Ecclesiasticos, cathedralibus præfertim obtruserunt Ecclesiis. Et hoc anno etiā Upsaliæ, Sueonum metropoli, suum conterraneum, promissorum, juramentorumque turpiter obliti, non erubuerunt imponere. Enimvero Margareta, pro sua insigni calliditate, non ignara, quod Archipræsulis sententiæ, velut oraculo, reliqui Ordinum auscultarent, ut suis artibus & partibus addictum haberet Upsaliæ Antistitem, legitimam M. Andreæ hactenus biennio remorata est designationem. Qui tandem illius seductus blanditiis, Upsalensem hoc anno deserit, & Stregnensem, Præsule nuper orbatam, capessit, Reginæ mandato, Ecclesiam, licet hanc Giorderus Præpositus, canonice nominatus, acceptasset, indeque gravibus Ecclesia Sueonum diu scandalis fuit perturbata.

Verùm hujusmodi non morantes Ericus & Margareta, Johannem Jere-

Jerechini, ex Dania propagatum, ac voluntati oppidò suæ accommodatum, Upsaliæ intrudunt, ipsi, & Andreæ, confirmationem à Gregorio XII. Pontifice schismatico, impetrantque. Proinde Johannes, gratiam suis exhibitus promotoribus, eorum magis quam Ecclesiæ infundat emolumenit; Quorum jussu novos imponit Sueonibus census, ipsos, veteresque, extorquet, ne quidem suo indulgens clero. Quem despectum, & crebris obrutum oneribus, non allocutione, tantum abest, ut conversatione dignaretur. Illam verò nimis familiarem cum nobilium quorundam conjugibus virorum, frequentat, cum honoris corporisque dispensio, conversationem.

Anno MCDXI. Giorderus ex Sueonia in Italiam properans, ab Alexandro V. nuper adversus Gregorium concordius electo, Pisis, II. Augusti, suæ obtinet designationis subscriptionem, & XIV. Septembris, novus inde mandavit Pontifex, Canuto Lincopenfi, Brynolpho Scarenfi, ac Petro Arosiensi, Episcopis, Andreæ deposito Giorderum subrogare, nullo regiae habitu voluntatis respectu.

Interim Dani & Holsati, non exspectato die condicō, inducias utrinque ruperant, se mutuò infestantes. Ideò Ericus, velut etiam quod Gerhardi hæredes, non impetratâ feudi intra annum confirmatione, suo in Ducatum jure excidissent, illum marte statuit aperto subjugare, sub Flensburgum castra movens, & crudeliter in devictos sæviens inhabitatores. Sed tandem partium fautoribus se interponentibus, XXV. Martii, Koldingæ inducias Holsati cum Danis, Suecis & Norvegis, quinquennales iterum paciscuntur, XXIX. Septembris anno sequenti, coram deputatis judicibus, Flensburgi omnino responsuri, sed nihilominus tempore induciarum, partem Ducatus possessuri.

Anno MCDXII. Calendis Aprilis, tres illi Sueoniæ Præfules congreſsi, edictum promulgant Alexandri, contra Episcopum Stregnensium Andream, mandantes ipsi, ut se abdicaret officio, intra dies senos, aut IV. milibus aureorum mulctandus, ac diris vovendus. Nocte autem sequenti, diagramma ipsum valvis Ecclesiæ affigitur Stregnensis, ubi etiam XI. ejusdem mensis, Patres Consistorii suam adversus Andream statuunt protestationem. Cui sub vesperam, suffixo ibidem antigrammate, respondeat Andreas, abnuens cathedram deserere, quod sibi à Pontifice, Rege, Reginâ, & regni Archipræfule, foret collata, appellans ad Christum, ejusque in terra Vicarium, & concilium rite congregatum.

Margareta non immemor sui Abrahami, Lundiæ aram de nomine illius constituit, datis ad eam prædiis Thyringenibus, & CCC. Lubecensium marcis, pro ornamentis, ubi presbyter Deum utriusque animabus quotidie propitiaturus esset.

Demum appetente conventus die Flensburgensis, illuc Margareta navigat, cui Ulricus, Megapolensium Princeps, postquam luculenter, ipsam cum adversariis concertantem, diu auscultasset, V. Octobris, Flensburgum jure pignoris, velut arbiter à partibus designatus, adjudicat, trimas solūm approbans utrinque inducias. Et alium promulgat convenitum, XXIV. Junii, frequentandum Nyburgi, ac reliquas terminandum ibi controversias.

His pro voto negotiis peractis, Margareta in Daniam reditura, namvis concedit, in qua priusquam de portu solveret, XXVII. Octobris, peste moritur, Suecorum, Norwegianorum, Holsatorumque sævissima pestis. Sed antidotum Danorum, vita, amor & deliciæ, atque in Sorenſi primum cœnobio conditur.

Interea Johannes Danus, Suecorum Archiepiscopus, Margaretae fi-

deiussimus choriceus, XIV. Septembris, in Arbogenti concilio, suâ & coë-piscorum graviter plectit sententiâ perjuros, laicos, concubinos, suas deflorantes ante benedictionem sponsas; parochos eam non legitimè impertientes; infantium oppresores; magiæ sectatores defensoresque; usuram & simplicem inficiantes fornicationem; esse crimen lethale; notorios Ecclesiasticae tradentes sepulturæ fœneratores; scholares in bacchanaliis convivantes; extra tempus mendicantes; violentos in ædibus Presbyterorum diversores; prohibitis ab Ecclesia diebus mercantes; Papæ contemnen-tes autoritatem; ac Eucharistiam alibi, quâm ipso asservantes templo pri-mario. Deinde hymnos præscribit, dum festis & Dominicis diebus, Eu-charistia portaretur ad aram, canendos; diem visitantis Elizabetham Ma-riæ, toto solennem deinceps regno instituit; parochos ad solvendum Epi-scopis cathedralicum præmonet, utque condendo testamenta, illorum ef-sent memores ac Ecclesiæ cathedralis. Denique sententias Laicorum in cau-sa prolatas Ecclesiastica, contra clericos, omni privat autoritate.

Anno MCDXIII. Ericus post obitum promaterteræ, solus trium re-gnorum assidens gubernaculo, Sueones & Norvegos, XXVI. annis inhu-manissimè iniquissimeque divexavit. Toto siquidem illo tempore, per-multi eorum terrâ marique, pro Danis, Holsatos & Vandalicas impugnare urbes; Ducatum Jutiæ recuperare; propriis militare impensis; lytra ca-ptivati numerare; crebros in Dania conventus frequentare; navium, armo-rum, equorumque ipsimet jacturam restaurare, cogebantur. Domi verò interim uxores, liberi, servitores, vasalli, coloni, cum aliis Sueonum ac Noricorum, novis exhauebantur contributionibus. Quæ, sicut etiam consueti census annui, plerumque in pecuniis solum levabantur, in Daniam, velut ad Scondiae fiscum, commodiūs deportandis. Unde Sueci & Norve-gi tot pecuniis destituti, Danis & Germanis multò numatioribus, utpote regnorum quælibet officia & beneficia obtinentibus, mobilia immobiliaque pro vili nimium precio divendere bona, vel oppignorare identidem com-pellebantur.

Atque huic Rex modum præscripturus ærufcationi, de consilio po-tissimum intimi sui Consiliarii, Henrici Koningsmarcher, principio anni Sue-ciam invisi. Ubi etiam sub finem Martii, Lanscronenses jure donavit pri-mum municipalì, nundinas quotannis, XXIV. Junii, celebraturos.

Interim, XXVII. Februarii, Johannes, Alexandri successor, à Berone, Stregnensium Præposito, informatus Romæ, de controversia Giorderi & Andreæ, trium Episcoporum sententiam protinus exequendi, Upsalensi, Lubecensi, & Abogensi, Præsulibus, committit potestatem, postridiè suis adhortando Regem literis, ad favendum æquiori multò Giorderi causæ. Quod ipsum facit Lubecensis, XXVII. Aprilis, nihil prorsus tamen apud Ericum & Andream proficiens. Itaque Johannes de hac certior factus contumacia, & subveritus Sueciæ, ut nuper Bohemiæ, apostasiam, Gior-derum insulâ donat Gallicolensi, Stregnensi Andreæ permisâ. Quem eâ Clerus Sudermanniaæ acceptat lege, quod intra quadrimestre à censuris si-bi impetraturus esset absolutionem.

Deinde Johannes, Christo infideles & rebelles armis subigere Sar-cenos meditans, triennalem de omnibus Ecclesiasticis totâ Europâ proven-tibus, imponit contributionem, expeditis super hac re, Calendis Junii, in Sueoniam literis.

Quo etiam mense Dani & Holsati, approbatum anno superiori conven-tum Nyburgi, frequentes adeunt, ubi coram Petro, Roschildensium An-tistite, summo in hac causa judice deputato, diu multumque colluctati sunt, Henrico, Brunsvicensium Principe, sororis Elizabethæ, ac pupillorum jus in

in Ducatum, propugnante, Ericus verò illum manifestissimis convincit argumentis, Gerhardo solum personalem, non realem, vel hæreditariam, obtigisse investituram, quæ illo moriente, simul expirasset, ad liberos non propagata. Deinde licet feudum fuisse naturale, tamen cum illius hæredes intra spaciū anni, à domino feudi, non tantum non confirmationem obtine-re essent conati, verū & bello vasalli, dominum suum gravissimo impete-re non veriti, ex conditionibus sanè feudalibus, jure suo propriâ illos cul-pâ excidisse universo. Quocirca Petrus, cum Assessoribus, negocio probè librato, demum vigore legum Danicarum, XXIX. Julii, Erico Ducatum adjudicat Slesvicensem, & redditus ex illo quoslibet, à Gerhardi levatos obitu, u etiam sumptuum bello impensorum refusionem, ac damnorum compensationem.

Porrò hanc citra sanguinis profusionem, Vartislaus, Pomeraniæ Dux, litem compositurus, XIV. Augusti, aliud partibus colloquium, XXV. Novembris, Flensburgi obeundum, injungit. Sed isto non procedente, Henricus natu major pupillorum, Regem supplex accedit, Ducatum sub consuetis flagitans obsequiis, & repulsam tamen passus, fœdus cum nonnullis Germaniæ Principibus, immodicum Erici detestantibus rigorem, quo-rum unus fuit Rex Albertus, Sueoniæ adhuc recuperandæ cupidus, in Da-nos pangit.

In ditione Lunenburgensium, prope Mollam, cœnobium S. Birgittæ suscitatur, Marievaldense.

Funus verò Margaretae, de Sorensi transfertur monasterio Roschil-diam, citra monachorum voluntatem, ex mandato Archiepiscopi Lundensis.

Anno MCDXIV. Septem potentiores Erici obtainent gratiam, feuda-que amplissima, Holsatiæ magnates, indeque Comites non modica invasit formido, & quod illorum etiam milite frequenter intestarentur. Sed Ericus hanc transigit hyemem in Sueonia Vaiteni, cum Ordinibus Scondiæ con-sultans. Indeque Ludentis & Nidrofensis Archiepiscopi, Sueciæque Præ-fules, libellos expedient supplices, ad Johannem XXIII. Cardinalesque, pro impetranda B. Nicolai Lincopensis, B. Brynolphi Scaren sis, quondam Antistitum, ac B. Ingridis Scheningensis, crebro tignis coruscantium, apo-theosi. Hinc verò Rex Calmariam digressus, XXVIII. Aprilis, in eodem destinat negotio suum Constantiam legatum, Stenonem in cœnobia Norve-giæ, Munchalivano, Abbatem. Ubi calendis Novembris, concilium fuit inchoatuni; quod Erici quoque mandato, Slesvicensis ac Ripensis invise-runt Episcopi.

Brigittini denique apud Vastenum monachi, per nuncium Scaren sis requisiiti Antistitis, XVI. Junii, non pauca de sanctitate Brynolphi, ex apoca-lysi S. Birgittæ testimonia protulerunt. Qui etiam missis ad Johannem suis oratoribus, novam impetrant facultatem, cœnobia, ubicunque terrarum sibi præberetur occasio, fundandi, easdem secum prærogativas, privilegia, & gratias usurpatura.

Anno MCDXV. Sigismundus Imperator, per legatos Erici Constan-tiæ solicitatus, XI. Junii, suo approbat diplome, sententiam super Jutiæ Ducatu Nyborgensem, vicissimque obsecrat Regem, ut Senatum à plebe-cula furente depositum Lubecæ, conaretur restituere. Itaque Lubecenses ab Erico, Cæsari gratificaturo, in Scania & Norvegia, mercibus spoliati, donec voluntati satisfacerent Imperatoris, pristino Senatum restituunt ho-nori, qui hoc propter beneficium Regi evasit addictissimus. Holsatos au-tem nec Cæsar is acquiescentes sententiæ, deinceps Ericus aggreditur, & il-lorum prohibiturus in primis excursiones in Ducatum, quaternas hâc ex-peditione limitaneas, locis diversis, erigit munitiones.

Anno MCDXVI. Ericus denuò Scondiæ copias ducit in Jutiam, quibus veteres magis firmat arces, & novas fundat, Gottorpiumque ac Slesvicum obsidet. Atque hostis adventu Regis Alberti, aliorumque Principum, armatus, quædam Dano subducit præsidia, ipsiusque noctu invadens castra, Scandianorum plurimos trucidat, & tandem Fimbriam Danis eripit. Quamobrem Ericus, bello hâc vice intermisso, Scondiam repetere consultius arbitratur.

Illic verò ad negotia paulisper conversus Ecclesiastica, ex voto Vastenensem, Pontificem orat Romanum, ut quandoquidem superstiti esset S. Birgittæ divinitus revelatum, quod Ordinis constitutiones, sub honorabili admodum Regulæ S. Salvatoris vocabulo, forent postmodum ab Ecclesia confirmandæ, dignaretur hâc illas nomenclaturâ donare, ac novelam S. Birgittæ religionem amare.

Verum Regis, & Episcoporum petitionem super apotheosi Nicolai, Brynolphi ac Ingridis, hactenùs Patres concilii ponderantes, tandem XXVII. Aprilis, illi subscribunt, novo Pontifice designato, ad effectum perducendæ. Interim dubia quædam in horum gestis suborta ventilandis, Aslogenisi, Vexionensi & Abogensi, Episcopis, porro discutienda referendaque comendant. Multis tamen horum canonizatio fuerat annis deinde prorogata.

Anno MCDXVII. Ericus centum millibus Scondianorum stipatus, in hosticum remeat; Gottorpium & Slesvicum, copioso circumdat milite, à quo Rex Albertus compulsus, obtentâ vitæ ac bonorum immunitate, Slesvicum XV. Julii, Erico dedidit, sanctè spondendo, non amplius se illum vel Scondianos infestaturum. Itaque Holsati metuentes Gottorpii amissionem, quod solum sibi reliquum ex Ducatu Jutiae esset universo, Hamburgensium enixè implorant auxilium; velut etiam aliorum suppetias amicorum, ita quod XXXI. mille sub signis tandem haberent militum. Quo proindè nuncio, ut etiam literis Hamburgensium clarigationis, Ericus consternatus, exercitum in Scondiam reducit. Holsati verò recuperationi arcium se accingentes, Slesvicum & alias expugnant munitiones.

Martinus autem V. infulâ donatus Pontificiâ Constantiæ, quâ Gregorius XII, Benedictus XIII, & Johannes XXIII, per concilium essent spoliati, ex Holsatorum petitione, Lubecensem deputat Episcopum pacis utrinque sequestrem. Quocircà ipso mediatore, Scondios & Holsatos inter, mense Novembri, per annum induciæ approbantur, & interim XXIV. Junii, de Ducatu Gottorpii, coram arbitrîs esset disceptandum, qui justitiam habentibus causam, illic esset adjudicandus.

Præterea cum Margaretæ fatis præventæ, Mariebogense in Dania cœnobium S. Birgittæ, prout decreverat, non licuerit inchoare. Ideò votis Ericus promaterteræ satisfacturus, hoc anno posuit illius fundamenta, ex quolibet per Sueciam, Daniam & Norvegiam, homine, denarium, pro fabricæ levans consummatione.

Johannes, Sueoniæ Primas, in concilio Arbogiæ provinciali, XIV. Septembris, statuta nonnihil mitigat, anni MCDXII, honesta scholaribus annuens convivia; diem IX. Decembris, S. Annæ sacrum, solenniter quotannis mandans obire; circumforaneos indulgentiarum propolas, nisi literis essent in diœcesi Præfusis commendati, parochis inhibens admittere; & clerici percussorem, inconsulto Episcopo, cum percusso, vetans reconciliandum. Illic insuper XVIII. Septembris, quærelæ de clericorum & scholarium inscitia, Archipræfus remedium adhibiturus, consensu Assessorum, Commissariis ad concilium profecturis Constantiense, injunxit, ut secum nonnullos ex Germania viros eruditione conspicuos, perducerent

Upsa-

Upsaliam, ubi honesto sub stipendio Sueciæ informaturi essent juventutem.

Anno MCDXVIII. Precibus Scondianorum, Academiæ fundationem flagitantum, impulsus Ericus, de illa Martinum V. obnixè protinus solicitat. Qui regiis consentiens votis, Florentiæ XXVI. Maji, facultatem concedit, prope aliquam Scondiæ cathedralē Ecclesiam, idoneam arbitrio Lundensis & Roschildenis Antistitūm estimatam, hujusmodi studium apparandi universale, iisdem cum Parisiensi privilegiis gavisurum, & prælectionibus omnium facultatum liberalium, exceptis Theologiæ solum generalibus. Nihilominus tamen ad Christiani I. ac Stenonis tempora, Scondiis Academiæ non contigit potestas.

Carmelitæ verò, alterum in Dania, Erici beneficio, Schelsoræ consecuntur cœnobium, indeque Oerebrogiā Sueciæ sunt propagati.

Martius Petro Kruse mortem, & Aprilis Petro Lycke cathedram Lundensem, attulerunt. Verùm Johannes Upsalensis, literario Stocholmiæ Gymnasio idoneum provisurus moderatorem, urbis Senatum habet contrarium, illud sui munericē esse contendentem, & tandem causā ex sententia Lubecensis Episcopi, cadentem. Is etenim in testem, XI. Junii, adhibus, fatetur illo se quondam officio Stocholmiæ functum esse, solâ Petri Archipræfulis licentiâ, non Senatus.

Cæterū jam imminebat Danorum & Holsatorum Gottorpii colloquium, ad quod uno solum die seriuī illi venientes, his causæ suæ timentibus, præbent occasionem, re infectā, domum remeandi, & bellum potius continuandi, quod, evolutis induciis, instauratur.

Anno MCDXIX. Hostium insolentiam, subsidio etiam Poloñorum, Ericus compescendam decernens, XXIII. Junii, cum Uladislao Rege, ac Vitoldo, Lithuanorum Duce, pacificatur, de mutua in hostes Christianos, & schismaticos, ope ferenda. Hinc proindè animosior, Fimbriam infestā petit Scandianorum classe, & bis descensione in terram ab incolis prohibitus, tertioque prævalens, insulam pervadit, nulli sexui, ætati, sacris vel profanis parcit, IV. hominum millibus illic occumbentibus; ast Scondianorum MD. duntaxat desideratis.

Diuturnis hujusmodi bellis, exhaustæ quoque Lundensium Ecclesiæ, compatiens Martinus V. novo ejusdem Antistiti, pallium contulit pro binis aureorum millibus, aliàs duplo magis persolvi consuetum. Qui etiam Pontifex, hunc circiter annum, calendis Juliis, apotheosi subscribit Brigittinæ. Cujus forsitan quoque instinctu, Ericus hortatur Johannem, Sueciæ Primate, ad promovendam Lapponum conversionem, templis apud illos passim fundatis, ac idoneis eō concionatoribus destinatis.

Stocholmia, Sueciæ Regia, horribili devastatur incendio, in quo simul vetustissimi Reipublicæ illius codices, diplomata & documenta interierunt.

Anno MCDXX. Hammarensi & Aslogensi vacantibus in Norvegia Ecclesiis, Danorum intrusurus quempiam Ericus, Olaum & Augdenum, indigenas, legitimè illarum Præfules à clero deputatos, ad se vocatos, carceribusque inhumaniter cruciatos, cogit infulas aliis permettere.

Plebs etiam Finmarchiæ, ac Helgelandiæ, coram illo miserabiliter questa, quòd regni Norvegici milite, bellis in Holsatia occupato, crebrâ Moschorum incursione affligeretur, pariterque cum bonis, liberis, ac jumentis in servitutem abduceretur, modicum subsidii & solatii consequitur. Enimverò vires & viros omnes Scondiæ in Comites dirigit Holsatiæ. Sed priusquam hosticū peteret, sponzionem, XXX. Junii, à conjugē Philippa consequitur, quòd si expeditionibus hujusmodi, pericu-

Io expositis, se contingeret morti succumbere, nullis superstiti liberis relictis, Bugislao patrui filio, vel alteri, de paterna descendenti linea, thronos Scondiae esset acquisitura. Ut autem votis illam suis magis redderet propensam, pro bonis in Norvegia & Fonia vitalitiis, longe præstantiora deputat in Selandia; pro quibus tamen meliora post mariti obitum in Sueonia esset habitura.

Deinde hostes prælio excipiens Immervadensi, profligatur, & spaciū copias reficiendi augendique deinceps captans, Flensburgi, XXV. Novembris, aliquantulas ab adversariis impetrat inducias.

Anno MCDXXI. Suum utrinque jus in Jutiæ Ducatum partes decisioni submittunt Magnipolensis & Stetinensis Principum; coram quibus simul probans luculenter & evidenter Ericus, australem Jutiam à remotissima hominum memoria, semper ad Daniam spectasse, attamen nihil efficiens, arma resumit, ingentique pelagus infestat classe. Unde Hamburgenses damnis quoque per illam affecti, suā vicissim littus Jutiæ borealis populantur. Quæ tandem Scandianæ congressa, ipsam viētrix tribus spoliat navigiis, & CXX. homines in vincula Hamburgum abducit.

Ad hujusmodi verò velificationes, & infortunatas, quotannis fermè classis Sueonum & Noricorum evocata velitationes, præter similes aliasque navium ac epibatarum clades miserandas, plerumque in Cimbro tam diu compellitur redditura hærere freto, fine omni prorsus Regis subfido, donec epibatæ vestes, arma, ipsaque subindè navigia, pro alimentis penitus divendissent. Tandem hyemis sævitia imminentे, naœta veniam redeundi, non paucos mortalium frigore, inediâ, & tempestate, in redditu lamentabiliter amiserat.

Querelis interea cleri Suecici de impurissima Johannis Upsalensium Archiepiscopi vita, Ericus fatigatus, ipsum apud Martinum V. detulit. Qui constituto in hac causa inquisitore, Rigenium Antistite, fontem deprehendit, & officio exustum, Rex propterea trudit in carcerem, indeque postmodum liberatus, Schalholtenis in Islandia evadit Episcopus. Atqui Upsalensis Præfulem consequitur Ecclesia, ex voluntate regia, Johannem Haquini, Vastenensis alumnum cœnobii, virum prudentiâ insignem, ac Erico à consiliis intimis, sacrisque confessionibus.

Nauno etiam Danus, Arosiensis in Sueonia Præful, Lundensis patrocinio Antistitis, Ottonensi potitur infulâ, illius abitum Arosiâ non lugente.

Anno MCDXXII. Hostium binas infelici obsident in Holsatia arces successu Scondiani, CD. suorum amissis.

Thomas, Orchadensium Episcopus, insularum quoque politicum naœtus dominium, suis spondet Regi literis, X. Julii, quod requisitus illas cum arcibus ei fideliter esset restituturus, & illo mortuo, superstiti filio, aut Philippæ Reginæ, vel his etiam vitâ functis, Bugislao patrui nato, aut neque illo in vivis existente amplius, de paterna Regis prosapia orto, traditurus esset Orchadas, quem potior Scondianorum pars, Regem designaret.

Anno MCDXXIII. Ericus graviter de contumacia, violentia & iniustitia Holsatorum, coram Martino Pontifice, Sigismundo cæsare, Regibus & Principibus imperii Romani, urbibusque Vandalicis, conquestus, nempe quod Jutiam, Danici juris provinciam, invasissent, injustis defendissent armis, & legum vigorem contempserint, permultos causæ illorum reddidit infestos; Ac in primis negotiatores Vandalicos, qui propterea XV. Junii, fœdus cum Rege pacti, Holsatis palam minantur bellum, nisi partum ac defensum iniquè Ducatum redderent. Sed anteà Pontifex & Imperator, suis in Daniam expeditis Legatis, annuas inter Scondianos, ac Hol-

Holsatos, obtinent inducias. Interim verò Ericus & Henricus, coram Sigismundi comparere tribunal tenebantur, ipsius sententiam percepturi.

Cæterum novus Sueciæ Archipræfus, XVIII. Januarii, in generali Arbogiæ synodo, nominat regni hujus Commissarios, ad concilium prefecturos Papiense; ordinat procuratores de qualibet cathedrali Ecclesiæ, in Regis aulâ continuò diœcesis invigilaturos negotiis; in usurarios animadvertisit; visitationi Episcoporum præscribit sumptus, & numerum famulorum; monialibus vetat imposterum foras ullibi locorum prodire; legum suadet Regi Sueticarum emendationem; officium ab Ecclesiâ Sueonum sabbatho decantandum, præfigit; Sacellanis inhibet nobilium, Eucharistiam alicui porrigere, inconsulto loci parocho; Sacerdotes concubinam foventes, ferit anathemate; ipsas verò fœminas septenni mulierat penitentiâ; & impœnitentes Ecclesiasticâ privat sepulturâ. Denique Cancellariis præscribit Episcoporum, pro literis quantum pecuniæ liceret illis percipere.

Quando Ericus gratum pro summis promaterteræ beneficiis animum exhibitus, XVII. Martii, sepulchrum Roschildiæ illius marmoreo decoravit eleganter cœnotaphio.

Anno MCDXXIV. ineunte, in Pomeraniam Ericus contendit, & inde Cracoviam Poloniæ accedens, illic XII. Februarii, nuptias Regis Uladislai, cum Sophiâ celebratas, suâ cohonestat præsentia. Quando etiam cum Uladislao agit, de filia Hedvige, suo patruei desponsandâ Bugislao. Deinde Budam Ungariæ profectus, ad Sigmundum Cæsarem, litis arbitrum à se adversariisque priori anno delectum, XXVIII. Junii, sententiam illius assequitur, Jutiam sibi australem tenore firmissimo adjudicantis. Hinc proinde alacrior, votivæ Jerosolymam se accinxit peregrinationi, & in reditu suâ proditus effigie per quendam Cæsaris aulicum, Budâ cuidam Turcarum destinatâ, quod Scondiæ foret totius Monarcha, dato clâm auro, periculum evadit.

Anno MCDXXV. Ericus in Scondiam reversus, pro argenteâ complet illam monetâ cupreâ affatim signatâ. Illius verò dolens vicem, optima Regina Philippa, & mariti consulens existimationi, hoc tempore, velut alias frequenter, clanculum percudit argenteam, tacite per regna dispersam. Sed Regis fuerat intentio, copiosum belli, adversum Holsatos instaurandi, conflare itâ nervum. Priusquam tamen caneret classicum, indicto Flensburgi colloquio, XXV. Julii, cum Henrico decertat jure, mordicus Cæsareæ adhærens sententiæ, & Ducatum, ut feudum ad gratiam pro regio conferendum arbitrio, sub regnum Daniæ reposcens. Atqui Comites his adversantur, ideoque animis vehementius utrinque exacerbatis, ab invicem digrediuntur.

Protinus autem Holsati per suum conquesti oratorem Romæ de Sigismundo, quod feudum vigore juris Imperialis naturale, ex præscripto legum Danicarum, personale nuper judicasset, impense orant Martinum, ut discordiam hanc uni Cardinalium, & Colonensium committeret Archiepiscopo, æquiū decidendam. Simul etiam iidem comperientes, Vandolorum civitates, propter multimoda in mari detimenta, hoc flagrante bello, à Scondiis crebrò illata, minus Regi, præliorum adhuc cupidio, inclinas, subdolâ Hamburgium operâ, ipsas non difficulter ad suam pertrahunt militiam. Itaque confluentes Rostochii negotiatores, in primis Regem per Legatos pacis admonent, deque suis cum ipso expostulant damnis, ob maris infestationem, & insecuram negotiationem, ac tandem acerbius nocti responsum, arma conclamat.

Ericus tot hostibus occursum, militem undique, & impensas corra-

dit bellicas. Quocircà etiam Jacobum, Scotiæ Regem, hortatus eit ad solvendas centum Sterlingorum marcas, aliquandiu haud numeratas, licet annuatim ex Süderensium ac Manorensum forent insulis pendendæ.

Verùm mense Junio, primis municipii donat prærogativis, Helsingoram, in quâ multo post tempore, arx etiam construitur munitissima, & urbs est hodiè ibi simul florentissima, quæ olim casis solùm pescatoriis frequentissima erat.

Mense Julio, Hafniæ celebrans Archipræsul Danorum synodum, permulta edidit statuta, Ecclesiæ disciplinam, Præsulum, & cleri libertatem concernentia.

Anno MCDXXVI. Scotti cum Norvegis Bergæ dictâ super pensione aliquandiu corrixiati, tandem XXIX. convicti, nominum spondent denuò quotannis centum marcas Sterlingorum, vel ducentos ex insulis præfatis nobulos Anglicanos; nec tamen satisfaciunt promissioni.

Ericus verò sub autumnum, L. millibus Scondianorum, Slesvicum & Gottorpium undique circundat; cumque ipsis potiundi spes affulgeret indubia, clarigationis Regi literæ à mercatoribus porríguntur Vandalicis, & rumores de navalí horum apparatu propediem affuturo, adferuntur. Quamobrem utramque deserens obsidionem, in Scandiam maturat reditum, quem hostis infecutus, nonnullâ ipsum cæde militum cumulavit, & Fimbriâ spoliavit insulâ, exeunte autuno.

Anno MCDXXVII. In Martio, Ericus per Ducem Pomeraniæ, frustrâ conatus Sundenses à fœdere Vandalico revocare, belli conditionem Cæsari exponit; suam illi & Pontifici causam submittit, oratque, ut pro authoritate in cives Vandalicarum urbium supremâ, ipsis mandaret castra deserere Holsatorum. Itaque Sigismundus cupiens summopere huic finem bello imponere, ut Vandalicis & Scandanis, deindè fretus simul armis, rebelles sibi, ac Romanæ Bohemos Ecclesiæ, facilius ad obedientiam compelleret, mense Julio, literis & nunciis, negotiatores Vandalorum, ad pacem cum Erico inetundam, vel sexennales omnino inducias faciendas, hortatur, alias banno se Imperiali scirent implicandos.

Interea temporis, Oceanum classis infestat Vandalica; Flensburgum impugnat, & amissio illic Henrico, Slesvicensium Duce, Balticum repetit pelagus. Quam in freto aggressa Cimbrico Scondiana, indè illam profligat, XXX. urbium Vandalicarum onerarias, ab occiduo cum mercibus adventantes, mari intercipiens. Tantarum verò mercium amissionem, Vandalorum institores, suarum urbium optimatibus expensam referentes, velut belli cum Rege minus necessariò suscepiti, authoribus vehementer illis insultant. Quibus faces Ericus magis subditurus, sparsis passim inter furentes iteris, Senatum illorum perfidiæ accusat; quod immemor pacti ante quadriennium secum initi, cum suis arma junixerint hostibus, in propriam & civium quorumlibet perniciem extremam. Simul etiam insanienti compattitur plebeculæ, quod proficuum ipsi in Sueciâ, Daniâ & Norvegiâ, sibi usurparent negotiationem Belgæ, Anglique; mercibus porrò ea toties spoliaretur; contributionibus bellicis oneraretur, ac velut ovis insons gladiis Scondianorum jugularetur, hortans ut illamet, vel serò suæ prospiceret saluti.

Quæ hinc adeò inflammata est passim in Vandalorum emporiis, ut quosdam Optimatum carceribus perpetuis, alios proscriptionibus, nonnullos etiam capitisi suppicio, mulctaverit. Nihilominus tamen Senatus illo civiliter tandem extincto incendio, haud bello supersedendum existimaverat.

Quocircà Ericus, indicto Helsingburgi cum Scondianis, conventu, ab Ecclesiasticis & Politicis ampliora multò poscit in bellum subsidia. Ac Clericus Sueciæ his assentiri compulsus, XIX. Decembris, coram Rege per Uppsalen-

lensem, Scarensem, & Stregnensem, protestatur Episcopos, se hujusmodi contributiones, non de jure, sed ex quadam gratia facere, ac fecisse haec tenus, ne posteri hinc seducti, Ecclesiam Sueoniæ, velut ex debito, facerent tributariam.

Anno MCDXXVIII. Tribus primis mensibus, præfatus Cæsar Legatus, M. Nicolaus Stochius, inter Regem & hujus adversarios, ultrò citroque commens, varia pacis ineundæ proponit incassum media, & demum Holsatos, atque institores Vandalicos, manifestæ convictos contumaciae, ad tribunal citat Imperatoris. Qui Jutiam interea populantur borealem, & CCLX. navium classe Hafniam obsident. Quarum perterritus adventu Ericus, in cœnobio latebras & refugium captat Sorensi. Verum imperterrito hostem expectat animo, conjux Philippa; cives militi permixtos, contra illum producit; invadentem reprimit, & cum pudore compellit abscedere. Demum victoribus lautissimum in castro exhibens convivium, gratias persolvens, ac niceteria magnificè distribuens.

Cæsar autem de pervicaciâ Vandalicarum urbium, Imperio subditarum, certior factus, illam indignissimo tulit animo. Nec minus Romano succenset Pontifici, quod perperam ab Holsatis & eorum complicibus, informatus, uni Cardinalium, Archipræfulique Coloniensium, novum litis hujus scrutinium ac judicium commisisset, ingerendo se in politicum merè negotium, ad Cæsaris solum quod pertineret tribunal, qui in causis judicem politicis non agnosceret superiorem. Itaque Martinus hâc super re admonitus, siam revocat commissionem, & Vandalici ab illo derelicti, protestantur, se non Cæsari domino suo rebellandi animo, sed libertates, privilegiaque olim sibi à Regibus Scondianorum indulta, & ab Erico frequenter violata, defendendi proposito, belligerare, ac obsecrare, ut cùm propinqua nimium Imperatoris, atque Erici cognatio, suspectam redderet sententiam Cæsaris, alteri suo loco hanc dirimendi controversiam, faceret potestatem.

Hactenus cùm nonnulli Brigittinorum fundatores cœnobiorum, peccandi occasionem præscisuri omnem, illorum inhabitatoribus, pro uno duntaxat sexu, viris aut fœminis, monasteria VI. per Italiam fabricassent, nimis Romæ ad S. Ceciliam, trans Tyberim; Bononiae; Murani ad S. Christopherum; Jenuæ; Venetiis ad S. Justinam, & Valentia. Alibi verò regionum, & urbium ex præscripto Regulæ, pro utroque condidissent sexu asceteria Brigittinorum, veluti Florentiæ, Paradisiarum, Vastenis in Sueciâ; Dantisci in Prussia; Mariebodense in Dania; Mariedalense in Livonia; Mariæ de triumpho, in Polonia, Lublini; Marievoldense, Raseburgi; Coronæ Mariæ, in diœcesi Suerinensium, atque de Sion, Londini Anglorum. Itaque ex horum uno profugus, Johannes quidam, coram Martino V, scandala & pericula in duplicitibus hujus Ordinis cœnobiosis, ex combinatione sexuum suborientia, exaggravat, poscens nomine simplicium claustrorum, sexus in hac religione ubique separationem. Unde judex hac in re constitutus, Johannes, S. Petri ad vincula Cardinalis, IX. Martii, affixo Romæ in Vaticano, ad Mariam Rotundam, Lubecæ, ac Sundii, lemmate, citat illuc peremptoriè, duplicitum cultores monasteriorum, intra XC. ibi diem, coram suo comparituros tribunal. Verum serò nimium Confessor generalis, & Ordinis protector, Vasteni, citationem nactus, mense Augusto, Romam versus abiit, & interim frater Lucas Jacobi, procurator ibi Brigittinorum, mendacii Johannem convicit, & facultatem impetravit, Capitulum Vasteni generale celebrandi, in quo Johannes luiturus esset pœnas. Sed Antistita Vastenensis, in hoc subverens capitulo, suæ non

## CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ

52

parum auctoritati derogatum iri, ejusdem ponit obstaculum celebrationi.

Anno MCDXXIX. Mensis Junio, Nyköping in Falsteria, mediatore Brunsvicensium Principe, Vilhelmo, inter Ericum & Vandalorum mercatores, de summo controversiae arbitro, prolixè disceptatur, illo Cæsarem, ac his Romanum nominantibus Antistitem, discordesque inde remeant, arma expedituri, & sumptus comparatur. Quamobrem Ericus in Sueciam exemplò profectus, grandes bello suppetias ab incolis extorxit, quas navibus Daniam versus destinatas, hostis intercepit, & Rostochii, ac Vismariæ hilaris divisit.

Absente vero, & insciente marito, Philippa ex victoria prioris anni non modicum animosa, LXXV. navigia, MCD. armata classiariis, in subversionem expedivit Sundensium. Verum hi discriminis praescii, appellentibus audacter occurrunt, & post dubiam aliquandiu pugnam, viatores effecti, Scondianos trucidant, submergunt, & captivant fermè universos. Itaque Ericus in Daniam reversus, horum profligatione, atque Sueticarum contributionum amissione, vehementer excandescit, uxoremque primò gravidam ita verberibus tundit, ut inde abortiretur. Quæ proinde mariti pertæsa malitiam, scortationesque, ut etiam munidum perosa, & pœnitentiam deinceps actura, ob tot homines suâ culpâ nuper peremptos, Vastenumque profecta, illic residuum vitae solis Dei obsequiis se mancipavit.

Calendas circiter Augusti, Bergam famosum Norvegiae emporium, tempore nundinarum, myoparones Vandalorum deprædantur, nec sacris nec profanis parcentes opibus. Quorum tamen piratarum rapaces manus evadens Arnoldus, urbis Episcopus, ad Regem festinat, quem ille mox Upsaliæ molitus Johanni subrogare leproso. Nidrosiensibus vero Norvegiae, Aslacum deputat, Cleri assensu, Archipræsulem.

Anno MCDXXX. Probissimam Scondiæ Reginam Philippam abortus, & nupera ad mortem præcipitant verbera, V. Januarii, Vasteni. Quo protinus advolans Ericus, cum Scondiæ Praefulibus ac Proceribus, funus conjugis sequenti mense, in choro illic S. Annæ humavit, testamentumque non modo illius approbavit, quo præsertim binas multi precii coronas, auro gemmisque præfulgidas, legasset cœnobio; Sed ipsemet etiam, XV. Februarii, in parochiali Vastenensium Ecclesia, MC nobulos Anglicorum mox erogans, regiorum fundavit collegium Canonicorum. Isti autem XI. numero futuri; communi mensæ accubituri; in veste candida, crucem portaturi rubream; pro Regis, Regnæ, omniumque in Suecia mortuorum ac vivorum, præsentium & succedentium animabus Principum, noctu diuque perpetuo, citra intermissionem, Deum deprecaturi essent, morem in his Ecclesiæ obseruando Lincopensis, atque ejusdem Antistiti, Vastenensium Confessori, nec non suo Decano fideliter auscultando. Vasteno deinde Calmarniam Rex abiit, ubi XXI. Martii, aliud omnino simile instituit collegium, XIII. Canonicorum regiorum, ipsi statim numerans M. denariorum marcas, insuper ex censibus urbis annuatim, CCCXXXV. marcas percepturo. Helsingoræ Danorum quoque suis construxit insigne Carmelitis monasterium, quod deinceps in modernam commutatur arcem Helsingorensem.

Sed priusquam rediret in Daniam Ericus, copiosum denuo belli adhuc prorogandi nervum ex Sueonia, velut aliis Scondiæ regnis, opulentiore, ideoque Crantio teste, crebrius ab hoc Rege contributionibus exhausta, cumulavit, querelas hac de re incolarum, etiam rebellionem, nisi hanc quantocyus supersederet æruscatione, comminantium, surdā - Post

Post suum in Daniam redditum, Rostochensibus & Stralsundensibus reconciliatus, cum reliquis mercatorum, in primis Nycopiæ in Falstriâ, mense Augusto, & tandem Helsingburgi, anno exeunte, colloquitur, ad pacem admodum proclivis. Verum, quod negotiatores, confederatis sibi Holsatiæ Comitibus, non possent simul prolixas impetrare inducias, bellum maluerunt, quam commilitones suo destitutos auxilio, hostibus objicere mactandos. Præsertim cum Regis illam esse intentionem, non dubiâ colligerent conjecturâ, ut vinculo fœderis hostes inter disrupto, se per vices sub jugum facilius compelleret.

Anno MCDXXXI. Johannes, Upsalensium Archiepiscopus, visitationi diœceseos intentus, præsubito IX. Februarii, demoritur, & triduo post Olaus, Ecclesiae Præpositus, vir scientiâ prudentiâque ornatus, illoque honore dignissimus, unanihi Patrum suffragio, viduâ potitur cathedrâ. Qui subverens, nè Regis machinatione alteri ea conferretur, eodem Romam versus die per Finlandiam, Livoniam ac Germaniam, festinavit. Decanus interim uno Canonicorum stipatus, Ericum accedens, ipsius flagitat calculum, Candidato porrigendum, quem ipse met coram postulasset competitor, si non regiae gnarus intentionis, in alium propendens, & malignam non ignorans consuetudinem, se carceribus ad cedendum suo jure compulsum iri, formidasset.

Sed Ericus, cum illud fastigium alicui Danorum pridem destinasset, qui suæ non poneret obicem tyrannidi, consensum Olae denegat, protinus in urbem proprio expedito legato, poscens, ut Eugenius, Arnoldo Bergensium profugo Antistiti, Upsalensem conferret insulam, illi Bergæ subrogando F. Gosvinum Carthusianum, qui nuper Scondiam ingressus esset, ob Ordinis illic sui propagationem. Atqui M. Canutus, Regis orator, Romanam perveniens, cognoscit Olavum votis potitum, Sueciam versus remeasse, illudque Erico quantocvus insinuat. Qui XX. Septembris, una cum Danorum Præsulibus, missis ad Eugenium literis, falso memorat, sibi competere jus præsentandi Antistitem Upsalensibus, quod S. Ericus, instituens illic primus Episcopam, jus patronatus transmitteret suis in throno successoribus; Quod Regi Senatores, quorum primus Upsalensis foret Archiepiscopus, & Proregem, quo idem Præsul in regia fungeretur absenta, officio esset concessa ubique gentium potestas eligendi; Quod ideo nullus antecessorum, citra Regum approbationem, eo dignitatis sublimatus esset, à qua regni quies, incolarum in Regem obedientia, fidelitasque profecto dependeret; Et denique quod Olaus paucorum duntaxat sibi faventium suffragio Assessorum, foret nominatus Antistes.

Interea Lubeçum progressus Olaus, illic de his per amicos informatur, & proinde C. nobulos pro viatico mutuos acceptans, à Magno, Abogenium Episcopo, urbem repetit intrepidus. Ubi in confessu Cardinalium, sibi adversantium, præter Navarrensem, Erici confutat mendacia, veraciter asseverans, documentisque probans, quod Upsalensium metropolis, fundatorem non agnoscat S. Ericus, utpote quæ illo mortuo primum instituta esset, & ante ipsum illic V. resederint Episcopi; Quod prædecessorum omnes libero Patrum Upsalensem, Regibus inconsultis, essent calculo identidem subrogati, primi quidem Senatorum existentes, verum nec præsente, nec absente regni Principe, politicis, velut Proreges, se ingerentes negotiis; Quod multi Pontificum Romanorum suis inhibuissent severè bullis, nè Præsulum Suetorum electionibus, Reges se immiscerent; Quod Principes inaugurandi semper idem, ut etiam ipfem Ericus, sancte sponderent. Demùm electionis producto decreto, ipsum ab omnibus Ecclesiæ Canonicis demonstrat subscriptum, præter tres, quorum unus in

transmarinis adhuc moraretur regionibus, alter Johannes Benedicti à Sa-  
lestad, juvenis XIV. annorum, ob ætatem minorenem; & tertius pro-  
pter scelus perpetratum officio exutus, conferre suffragia, jure haud per-  
mitterentur.

Domi verò expostulat Ericus cum Legatis Anglorum, de damnis per-  
magnæ profecto æstimationis, sibi & subdito populo ab Anglis, XX. annis  
Gronlandiam, Islandiam, Ferogiam, Hetlandiam, Orchadas, Finmarchiam,  
& Helgelandiam, mercandi gratiâ invisentibus, plus æquo irrogatis. Cum  
Magistro etiam Ordinis Theutonici, à negotiatoribus Vandalorum ablega-  
to, videns se non posse convenire, Sueticâ Oceanum infestat classe, Archi-  
thalassis, eximiæ fortitudinis viris, Brodero Suenonio, ac Gregorio Magni-  
sonio. Qui ternas Lubecensium naves, cum mercibus, Rigâ domum pro-  
perantes, ad Regem captas abduxissent. Quam vindicant prædam non  
segnes Lubecenses, Holsatis permixti, urbem in primis Flensburgensem,  
deinde castrum Danis eriendo, aliasque in Jutiâ expugnando munitiones.

Mense Julio, Gervinus, Vastenensis generalis Confessor, domus in  
urbe S. Birgittæ, juxta campum Floræ, in regione Arenulæ, & paro-  
chia SS. Mariæ ac Catharinæ, existentis, deputat provisores, Andream  
Ostrogothum, atque Johannem Gotlandum, mandans solos in eâ fuscipere  
hospitio peregrinos ex Sueciâ illuc adventantes. Sed X. mensis ejus-  
dem die, magnificam Nidrosiensium basilikam horrendum ignis fuerat  
populatus.

Anno MCDXXXII. Classis Oceanum repetens Scondiana, obviam  
invadit hostilem, qua cum præcipue colluctans Suecana, subsidio Danicæ,  
fugâ sibi consulentes, destituitur. Ideoque captiva Lubecum abducitur,  
cum CCXL. hominibus, quorum primipili, Broderus Suenonius, & Gre-  
gorius Magnisonius, quos ob cladem anni prioris, septennio Lubecenses  
inhumaniter cruciaverunt. Quamobrem Scondianorum querelis de hac,  
aliaque, multipli permotus clade Ericus, XXIII. Augusti, quinquennales  
cum urbibus Vandalicis paciscitur inducias, ita quod interim libera  
utrinque vigeret negotiatio; nulla maris infestatio, & Calendis Majis, no-  
vi conventus, de controversia porro discutienda, frequentaretur celebratio.

Calenburgi autem, XXVIII. Octobris, rediit Ericus in gratiam, &  
fœdus cum Henrico, Anglorum Rege, qui spondet, Noricorum damnis  
satisfactum iri, navigationemque in præfatas non amplius permittendam  
insulas. Sed lis Erici cum Olao, Upsalensium Præfule, adhuc extorri,  
magis incanduit, contra quem, licet ipsem, & suasu illius, Cæsar, Re-  
ges, Principes, Cardinales, aliique scripsissent Eugenio plurimi; tamen  
Olaus æquissimâ fretus causâ, invictus perstigit. Deinde vocatos in Da-  
niā Sueciæ Præfules, Ericus compellit suis obsecrare Eugenium literis,  
nè imposterū ulla, citra Regis commendationem, infulâ donaretur  
Upsalensi. Atqui tamen vanus fuit omnis Erici conatus, & Pontifex Olai  
misertus tandem innocentiae, Regem hortatur ad illius restitutionem, pro-  
prio in Daniam nuncio cum literis expedito. Quas Ericus pedibus pro-  
culatas, jubet tabellionem devorare, ac recusantem colaphis ad sanguinem  
usque pulsat, inque carcerem campingit.

Tam insigni Sueones vehementer injuriâ commoventur, ut etiam im-  
mani Prælectorum regiorum tyrannide, quorum crudelissimus esset Jo-  
annes, Vesmannorum, Montanorum, ac Dalecarlorum Gubernator.  
Etenim præter alia crudelitatis documenta quotidiana, quæ horret ani-  
mus memorare, is infontes V. viros fumo enecuit; superstites autem  
uxores aratro velut jumenta excruciat trahendo, donec aborirentur.  
Quæ officiales regii scelera, Erico absente, vel nesciente, aut potius  
conni-

connivente, licentiūs perpetrarunt, & horum nomine frequenter ad illum delati, se ut iidem falso sub prætextu excusarunt, culpam in supplices insontes, malignè derivando, non rarò verbis insuper, & verberibus, carceribusque, graviter ea propter in Daniā, domumque reversi, ab adversariis gravius longè fuerint mulctati.

Nihilominus tamen Engelbertus quidam, patre libero natus, & in Principum educatus aulis, corpore quidem parvus, veruni animo permagnus, hujusmodi nequaquam territus lanienis, popularium suorum miserebatur, Montanorum ac Dalecarlorum, præfatumque ipsorum lanionem, in Daniam profectus, coram Rege multorum incusat criminum, & tandem obtinet Erici literas, ad Sueciæ Consiliarios, quibus inquisitionem, non executionem demandavit. Unde querelis fideliter examinatis, veras deprehendunt, ac de illis Regi cum Engelberto scribunt. Quem ille tamen cum indignatione repulit, santi convicto indulgens, mortisque sub comminatione vetuit Rex, vel potius tyrannus iniquissimus, Engelberto, nè illam moveret querelam amplius.

Non verò impunè tulit omnino scelus postmodum Joannes, ut neque Johannes Gerechini, quondam Upsalensis, & deinde Scalholensis apud Islandos Episcopus, promptissimum ad hujusmodi facinora Regis organum, à quo damna Ecclesiæ Upsalensium illata, plusquam XX. millibus aureorum æstimantur. Utpote quem Islandi hoc anno infutum culeo, in flumine Bruaraino submerserunt.

Anno MCDXXXIII. Congregati in Vasteno Sueciæ Præsules, scriptis ad Eugenium literis, XXII. Martii, solenniter contra Regem, & Daniæ protestantur Antistites, electioni se nullo jure ingerentes Upsalensis Archiepiscopi, aliorumque Præsulum Suetorum. Quandoquidem Innocentius IV. anno MCCXLIII. suâ vetuisset bullâ, Politorum admittere suffragia, in designatione Antistitum, sed plurim ex Assessoribus jubens adhærere calculis. Illoque designatum modo legitimè Olaum, rogan, ut Eugenius non desisteret ad Upsalensem promovere Ecclesiam, patriæ nimiùm hoc tempore, prò dolor, afflictæ utilissimum, posthabito Arnoldo, Sueonibus admodum perniciose.

Ibidem quoque tres illi Præsules Sueciæ deinceps congressi, nempe Siggo Scarensis, Thomas Stregnensis, & Nicolaus Vexionensis, qui anno priori ex Daniā Eugenio supplicem destinassent libellum, Suecanæ contrarium Ecclesiæ immunitati, IV. Augusti, publico ingenuè fatentur instrumento, illum sibi invitis à Rege fuisse extortum, ideo contra ipsum protestantes, & revocantes. Horum verò ignarus Ericus, circa XVIII. Augusti diem, Hafniā Upsaliam versus Arnoldum, suis stipatum satellitibus, expedit, mandans Patribus illum pro Antistite susceptum, observare, ipsique rationes censum de prædiis Archiepiscopalibus, à Johannis obitu perceptorum, facere.

Is V. Octobris, Upsaliam ingressus, & in ædes non admissus Archipræsulis, illas per vim reseratas, diripit, XIV. Octobris, presbyterio contra illius, & Regis violentiam solenniter protestante. Quod ideo contumacia & inobedientia perperam Ericus accusans, crebris persecutionibus, bonorumque expilationibus, triennio impudenter dilaniavit. Verū Arnoldo, effusis protinus visceribus horribiliter mortuo, subrogat Torlachum, Bergensium Præpositum, & Olaum, Sueciæ legitimū Primate, Bergensibus obtrudere laborat Episcopum, cum detimento Upsalensium non modico, ex Arnoldi & Torlaci promotione suscepto, quod VII. millibus aureorum æstimarunt.

Itaque Sueones, item Regis cum Vandalicis urbibus, in nupero Suinbur-

burgi colloquio haud diremptam, bello iterum inclinatam, prospicienes, quod suæ vires & viri, diutius possent nequaquam sustinere, ut neque tot injurias ab Erico<sup>i</sup>, illiusque Officialibus irrogatas, patienter sufferre, passim in regno moliuntur rebellionem, iniquissimo Regi, quem foris marte distentum, sibi minus domi pertimescendum existimat. Pugnæ autem Dalecarli præludium exhibituri, ad arma certatim convolant, & castrum obsident Arosiense, solo adæquaturi, in eoque latitatem trucidatur Joannem, patriæ laniōnem, & prædonem. Verum à quibusdam procerum, Joannem officio non diutius illo functurum, nec accolas amplius molestaturum, certò spondentium, persuasi, positis armis, domum regrediuntur, ductorem sequendo Engelbertum.

Quo tempore, XI. Novembris, in Angliâ Brigittini, de veteri mansione Londini, ad commodiorem multò perducuntur, à Cantuariensi, & Eboracensi, Archipræfulibus, senisque Episcopis, innumerâ hominum frequentiâ undique stipatis.

Anno MCDXXXIV. Joannes, Arosiensium Castellanus, Procerum contemnens consilium, & proprium accelerans periculum, missis in Dalecarliam suis ministris, crudelius solito tributa extorquet ab incolis. Qui proinde tribus ante Pascha septimanis denuò progressi, arcis demolitionem, & præfecti decernunt unanimes internectionem. Sed quidam denuò Optimatum se interponentes, in locum Joannis depositi, subrogato Melchiori Gœrsæo, placant rebelles, domum certatim dilabentes.

Deinde cùm præcedenti anno, concilium Basileæ inchoatum esset, isto Ericus suos illuc expedivit Legatos, Nicolaum Vexionensem, & Ulricum Arhusiensium, Antistites. Quibuscum VIII. Maii, datis ad Patres literis, de Eugenio conqueritur, quod M. Olaum, Upsalensi, & alterum Slesvicensi, conaretur obtrudere Ecclesiis, præter morem in Scondiâ receptum, juraque Regum, à quibus cathedræ olim fundatae, & jus Antistitem præsentandi successoribus esset transmissum. Sed Patres à M. Christophero, Upsalensem oratore, de hoc æquiūs informati negotio, XV. Julii, minus justæ illius petitioni se consentire nequaquam posse respondent, suadentes, nè Clerum & Ecclesiam Scondiæ prærogativis, immunitatibus, privilegiisque adniteretur diutius spoliare.

Interim Dalecarli, de his forsitan Regis molitionibus, ut etiam quod nuperæ pœnam rebellioni, crudeliorē multò foret minatus ipsis gubernatorem, certiores facti, tyrannum à suis patriæque constituunt cervicibus tandem amovendum. Itaque mense Julio, potentiores longè de valibus montibusque descendentes, Engelberto duce, arces imprimis obvias, Kœpungensem & Borganeensem, expugnatas, demoliuntur, Præfectis inde regiis fugâ sibi consulentibus. Deinde Arosiam, Melchiori subductam, uni Sueticorum Procerum, Nicolao Gustavio, tradit Engelbertus, & convocatos illic Vesmannos, Neritiosque, ad ferendum patriæ subsidium vindicationi, aliâs vitâ & bonis spoliandos, permovet.

Idipsum quoque Engelbertus spondentibus Helsingis, Gestriciis, Melpadiis & Angermannis, Upsaliæ congregatis, trientem de censibus relaxat annuis; æquiores deputat Præfectos, regiorum commendans Officialium in boreali Sueoniâ, generoso admodum viro, Erico Puchio, Corsholmensi Castellano, profligationem, & arcium expugnationem. Puchius verò patriæ libertatis studiosissimus, non ægrè persuasus, triplicem mox cogit exercitum, uno quidem Faxholmium Helsingiæ subactum, comburenſ; altero Castelholmium Alandiæ, occupans, & tertio, cui præcesset ipsem̄, Krysburgum, occidentalis Bothniæ, ac Styresholmum, Angermannia, tyrannis eripiens, moxque Engelbertum adiens, rei expositurus successum, & porrò negotium cum ipso ponderaturus.

Nec

Nec Engelbertum eidem deprehendit indormientem, utpote, qui Upfaliā interim Stockholmiam, Oerebrogiam & Nykopiam, festinans, Præsides compellit ad spondendam arcium deditioñem, nisi intra constitutum utrinque spaciū temporis, subsidia Regis consequerentur. Verūm Grypholmensis præfectus, non expectato hostium adventu, ignem tectis subdit, & Stockholmiam profugit. Ericus autem Rex, suis in Sueciā complicibus, opem adferre non valens, nisi bello cum institoribus aliquantulum sedato, Vordingzburgi, arbitris Megapoliae, ac Pomeraniae Ducibus, illud conatur frustrā consopire, annuas duntaxat impetrans inducias, II. Julii, & novum ibidem colloquium, XXIV. Junii sequentis, celebrandum.

Ex hoc inaudiens conventu Engelbertus, in obsidione occupatus Ringstadholmensi, ad quam Nyköpiā properasset, nonnullos Sueciæ Præsules, & Proceres reduces, Vasteni congregatos, obseisis aliquot dierum poscentibus concedit inducias, ac Vastenum interea festinat, ubi patriæ calamitatem, Regis & regiorum tyrannidem, ac rebellionis causas justissimas, Ordinibus prolixâ exponit oratione. Tandemque hortanti ad patriæ vindicationem, & palam reluctantibus, vitæ ac bonorum minatur discrimen, nisi quantocyùs suis renunciarent literis, perfidissimo Regi, omnem obedientiam, & arma secum in ipsum expedirent. Quocircà minis Engelberti, ac fremitu plebeculæ, magnates perterriti, consentiunt imperatis. Quorum Engelbertus literas Erico transmisit, & Ringstaholmum regressus, illud capit deditum, pariterque Stegeburgum.

Ex Ostrogothia etiam copias ablegavit ad expugnationem Stegholmii, hoc potiens mense Novembri, & alias in Vestrogothiam transmittens, Romlaburgum, Trulleburgum atque Pixburgum, armis subegit. Sed ipse met Oerebrogiam remeans, præfidi M. persolutis marcis, arcem consequitur, & suos Vestrogothiam versus insequitur, illic Edsholmum, Vermelandiæ, Daleburgum, Agneholmum, Oepenstenum, Oerestenumque, subacta demoliens. Sueciā itaque brevi admodum tempore à tyrannis vindicata, Hallandiam subdit borealem, atque sub Varbergo, cum illius gubernatore ita transegit, ut castro & portione contentus redditum, provinciam Sueonibus assignaret. Postea Falenbergum & Halmstadium superat, inque Scaniam gressum accelerat, incolas sub Lageholmio congregatos impugnatum. Quibuscum pace fancitâ, incolumem cum insigni victoriâ reduxit in patriam militem, C. millibus constantem.

Ineunte Octobri, Nicolaus Ragvaldius, Vexionensium Episcopus, & Legatus in concilio Basiliensi regius, Hispanos cum Anglis, de sedium illic eminentiâ corrixantes, auscultans, postridie in consessu Patrum, copioso demonstrat sermone, Scondianos potiorem prioremque illis gradum sibi meritò vendicare, propter celeberrima toto propemodum orbe terrarum, olim edita multis seculis per Gothos suos facinora. Cui suffragatur nonnihil protinus Alphonsus Cartagena, Compostellæ Decanus, a surgens, Sed Antistes Conchensis palatinus, sibi argumenta producta minus afferens perspecta, apographum orationis petit, & in crastinum delibерandi tempus obtinet.

Atqui non amplius hujus mentio prærogativæ, illic fuit instituta, quod illius assertor Nicolaus, pro singulari suâ prudentiâ, cum Archipræsule Nicosiensium, esset inde mox destinatus, ad reconciliandum Galliæ Regem, Principi Burgundionum. Prius tamen Nicolaus, à M. Christophe-ro ad promovendam Archiepiscopi Olai causam solicitatus, asseverat, se proprio id motu dudum fecisse, nisi Regis illic Commissarium, non adversarium, pro tempore ageret, nec defuturos quandoque innocentissimo viro patronos.

Horribili autem, ut præfatus sum, Arnaldo morte sublato, genitallium fætorem, velut impius Antiochus, sufferre non valente, inquit Daniam funere deportato, Torlacus, Regis Sacellanus, infulam capturiens Upsalensem, repulsam quoque patitur. Itaque formidans insuper adventum Engelberti, fugamque trepidus arripiens, digitum S. Erici furto secum absportat, illo tamen non nisi restituto, evadendi obtinet occasionem. Hunc deinde Viburgensi assignat Ericus præfulem Ecclesiæ, & tandem cathedram impetrat Bergensem, ubi furore mercatorum occubuit.

Nec parum molestiæ Lundensium quoque Patribus facebat Ericus, illos sub privatione redditum, ad absolvendum quotidie in archiodæo pensum horarum obligans canonicalium. Sed benignior Nidrosiensibus, ipsis numerans, XXIV. Augusti, CCC nobulos, obstringit ad sacra precesque, in Ecclesiâ S. Olai jugiter fundenda, pro regiæ stirpis incolumentate ac salute. Aet XVI. ante diebus, Vilhelmo Senchlerio, comiti solenniter creato, feudum contulit Orchadense.

Interea porro temporis, Ordinum literis Sueticorum Ericus acceptis, cùm aliquandiu illos, Engelbertumque suis vicissim libellis ad obedientiam revocare nequicquam laborasset, id suâ ratus præsentia, dubio pròcul, effectum iri, mense Octobri, naviis binis Sueciam versus instructissimis, velificat. Verùm illis, clasiariorumque plurimis, in via tempestate amissis, in tertia aliundè navi acquisitâ, difficulter Stocholmiam pertingit, ineunte Novembri. Cujus adventum Engelbertus cognoscens, tribus urbem castris protinus obsidet, Uplandis boreales, Sudermannis australes, Vesmanis & Neritiis occiduas civitatis oras impugnantibus.

Hinc Roslagii audaciores effecti, suum in castro delitescentem Oesthamerino, destinant cædi tyrannum; Qui præmonitus, aliundè flamas subdit ipsemet tectis, & Regem trepidans adit. Quando Ericus etiam metuens, nè Sueones Stecheni simul potirentur munitione, jubet incendio quantocyùs abolendam, & se accingit ad Stocholmiam solum defendendam, suburbanasque insuper insulas, D. præsidio militum obfirmat. Viribus tamen impar tantæ multitudini, obsidionem non diu se toleraturum considerans, in obtento cum rebellibus colloquio, sciscitur primò, quâ de causâ vellent se throno exturbare, & responso accepto, quod non tam ipsius expulsionem, quam pactorum, legum, & privilegiorum, intenderent propugnationem; crudelium præfectorum extirpationem; ac alienigenarum ex officiis, beneficiisque regni, proscriptionem; ut etiam competentibus coram judicibus, paratos defendere rebellionem, ad inducias convertitur. Quas XI. Novembris, illâ obtinet lege, ad VIII. Septembris anni sequentis prorogandas, quod eo discordia tempore ab æquis discutienda, dirimendaque esset in conventu limitaneo sequestribus, & interim nullos idem de Sueciâ census percepturus. Minus tamen se illic securum ratus, ut quoque parator eò rediret, mutato propter structas fortassis insidias, habitu, in Daniam terrestri clàm itinere festinavit, urbis autem defensioni, DC. deputavit præfidiarios. Indeque Sueonum Ordines, quid sibi foret expectandum à Rege, prospicientes, in abitu Stocholmiâ, conventum Arbogiæ, VI. Januarii, frequentandum promulgarunt.

Anno MCDXXXV. illucente, Sueonum primarii Arbogiæ confluentes, Engelbertum, populo propter modestiam & solertiam in rebus gerendis gratiosum, regni designant Gubernatorem, qui prius se libertatis assertorem patriæ, solummodo nuncuparet, adjunctis illi coadjutoribus in provinciâ qualibet, hostilibus qui unâ incursionibus tempestivè occur-

occurserent. Inde Johannes Krœpelinus, natione Prutenus, pacis, æquitatisque amantissimus, bellum merito subveritus novum, Calendis Februariis, cum nostratis Sigtoniae colloquitur, ubi spondens se pro votis illorum, apud Regem transigere controversiam paratum, ad ipsum cum articulis querelarum alegatur, & impetrat conventum Halmstadii, utrinque III. Maji, celebrandum.

Sed interim Olaus extorris, de fugâ Torlaci, & lite Sueonum cum Erico recrudescente, informatus, atque ad redditum à fautoribus instigatus, in patriam anni principio festinavit. Cujus adventu Sueonum Praesules vehementer recreati, IV. Martii, Patribus concilii Basiliensis, illius exponunt innocentiam, & Regis violentiam, qui tot annis insontem Sueciæ Archiepiscopum relegasset; damnis mactasset; redditibus spoliasset, & sibi Metropolitam designandi jus, perperam arrogasset, quamquam nè consulendus quidem esset, in designationibus Antistitium. Ipsemet quoque Olaus, suis apud Eugenium literis, redditum postliminiò Upsaliam luculenter excusavit, ac Regis inclem tam prudenter exaggeravit.

Is tamen cum aliis Sueonum alegatus Halmstadium, non oforem, sed regiæ causæ fidelem se promotorem, exhibuit. Ubi III. Maji, assensu collegarum, subscribit Erici restitutioni, his sub conditionibus: Stocholmiæ, XXIX. Julii, Rex comparens, in primis fideliorum legum, consuetudinum, immunitatum, privilegiorum, siue sponderet juramenti observationem; gravaminibus ac querelis Ordinum, XII. iudicio arbitrorum submissis, satisfaceret; proprium incolis Dapiferum, & Marschalcum deparet; insuetas abrogaret contributiones; captivatis suâ causâ per Lubecenses, damna compensaret; Engelberto Oerebrogiam, cum subjectâ ditione, ac Puchio provinciam Ritshærensem, annueret superstitibus; fundos Suecis in Daniâ, Norvegiaque, nullo ablato jure, restitueret; securam inter Scandianos provideret negotiationem; atque diploma unionis, hactenus paucis monstratum, die condicto produceret; Interim vero Hallandia illi resignanda esset, & regio in arcibus Sueciæ nonnullis praedio, commeatus permittendus.

Hæc inter Engelbertus, nè tantillo patriam tempore suis defraudaret conatibus, domi compendia ex Melero Uplandiæ lacu, in Oceanum navigare volentibus, indagat, transitum illis sub civitate quærens Tellingen, humo illic immenso effossâ labore, sed frustraneo, propter obvia in terræ visceribus saxa passim ingentia.

Archimystra etiam Sueoniæ Olaus, consummatam tandem Upsalensem basilicam, Thomâ, Stregnensi Episcopo, collegâ adhibito, insigni admodum festivitate, Deo Optimo, Maximo, Divisque, Laurentio, Olao, ac Erico, inauguraverat, dedicaveratque.

Cœnobium S. Birgittæ in Livoniâ, Marievallense, ad fastigium quoque perductum, solenniter consecratur.

Atqui Norvegiæ Archipræful Aslacus, synodum pro corrigendis Cleri moribus, Bergæ, ad XXIV. Junii, publicat adeundam, illucque venire abnuentes, Johannem Aslogensem, Thomam Orchadensem, & Petrum Hammarensem, Episcopos, censuris perstringit Ecclesiasticis.

Cæterum Ericus difficilem fore cum Sueonibus concordia rationem, bello flagrante Holsatico & Vandalico, deliberans, receptui canendum statuit, adversariisque Vordingborgi congressus, XV. Julii, cum Adolpho Holsatiæ Comite, paciscitur, Slesvicensem illi Ducatum, Fimbriam ac Frislandiam, superstiti, & hæredibus, per sequens deinde biennium attribuens, postquam totis XXX. annis, harum nomine provinciarum, cum Holsatis belligerasset.

Postea cum mercatoribus, litem quoque transigere laborans, septimo post die, voti compos evadit, pristinis negotiandi libertatibus, in Scondiâ restitutis, de quibus novennio terrâ marique acerrimè pugnatum fuerat, & utinam prius cessatum, ita non tantum miseris Scondiotis damnorum illatum, & sanguinis utrinque profusum fuisset. His vero distentus negotiis Ericus, XXIX. Julii, non comparuit Stocholmiæ, ubi IX. tamen sequentibus, illum præstolati nostrates septimanis, XVI. millibus librarum argenti, sua æstimarunt damna, per hanc moram illata. Calendis demum Octobris, uno fluctibus amissio navigio, advenientem Sueones ex portu virgineo, XII. Optimatum destinatis, super pactis Halmstadii conventis, compellantes, ludibrio excipiuntur.

Verum non ludibrio, ast dolo, Sueonibus impositum iri consultius animadvertis, suos Consiliariorum suorum, decrevit tantisper postulatis subscribere illorum, donec regni munitiones recuperasset. Prout XIV. Octobris, Halmadianos suo confirmat diplomate articulos; offertas indigenis condonat; Christiernum Nicolai, Dapiferum, & Carolum Canuti, creat Marschalcum; Stocholmiæ, Nycopiæ, ac Calmarniæ, ut pro arbitrio sibi liceret quempiam Scondianorum deputare Castellanum, exorat, reliquis arcibus, officiisque regni, per solos provisurus indigenas.

Hac autem fraude arcibus potitus, nullam promissis fidem servavit. Etenim jura regni conculcat; diploma unionis non monstrat; Dapifero & Marschalco per jocum designatis, alisque Consiliariis, pro competentibus stipendiis, minas intentat; duodecimvirali præsentatas iudicio causas, & querelas Sueonum, quas inter fuit expostulatio, de occupata per Danos Gotlandiâ, sibi arrogat resolvendas, ut scilicet una rei, actorisque sustineret munus; deposito Johanne Krœpelino, viro integrissimo, Erico Nicolai, Dano, Stocholmiam cum D. præsidariis committit defendendam. Novembri mense, solvens inde Daniam versus, maris accolias Suetici, spoliat; Vastenum per suos incendit emissarios, arcibus passim alienigenas præficit, vel scelere notissimos, sibique fidelissimos, indigenas.

Illam porrò usque adeò insignem Regis perfidiâ, non impunitam Deus reliquit. Siquidem in altum proiecto, horrenda tempesta immissa, citra ullam vitæ spem, diutissimè, gravissimeque illum jactaverit; non paucas navium, & plurimos hominum, submerserit; ipsosque quidem Danorum nobiliissimos. Velut etiam cœlitus instigatus est Engelbertus, ut thronum ei denuò subduceret, qui simul novis popularium de Rege motus querelis, Ordines regni Arbogiæ, XX. Januarii, publicato jubet mandato comparere.

Anno MCDXXXVI. ingrediente, Vordingzborgi Statibus Daniæ convocatis, Ericus patrualem Bugislavum, pro Rege acceptandum, sequē donandum rude, senio, morbis, & laboribus confectum, persuadere conatur. Sed illi vivo alium subrogare Regem, præcise abnuentes, adjutorem regiminis duntaxat, flagitanti concedunt Erico, Bugislaum, spem throni Danici, pro tempore destitutum. Quocircà Sueonibus, aut Norvegis, ipsum decrevit in primis obtrudere.

Sueci autem Engelberti auscultantes mandato, XX. Januarii, conveniunt Arbogiæ, ibique Regis perfidiâ, æquo paulisper momento pondaratâ, illi omnem renunciant obedientiam, nisi citra Martias Calendas, pacis responderet conventis, & damnis passim nuper illatis satisfaceret. Interim fama illic Regis promulgat intentionem, de Bugislae sub veris initium, Sueonibus obtrudendo. Et Stocholmenses nunçis literisque clam Ordines obsecrant, ut Regiam patriæ quantocyûs alienigenis eriperent, illa-

talem machinantibus cladem, qualem Alberto sustinuisse captivato. His proinde Ordines impulsi momentis, Stockholmiam, animos Danorum exploratum, adire constituunt.

In procinetu versantes regni Proceres, XXII. Januarii, Vastenenses municipes, de nupero urbis suae incendio, & laboribus fabricæ identem monasticæ impendentis, querentes, à quolibet regni ac Regis onere, generali exceptâ in hostem expeditione, immunes reddiderunt.

Deinde Stockholmiam adventantibus, Dani & Germani portas occludunt. Ideoque consules ad colloquium evocatos, tertio introitum regni Senatoribus denegantes, Engelbertus, ac Marschalchus, abducunt illos merito captivos. Hinc præses Danus indignans, portas obserat; propugnacula urbis & arcis, milite firmat; Suecos eminus globis, ac cominus impedit lapidibus. Sueones verò in civitate constituti, patres patriæ diutius prohiberi accessu, non ferentes, portas urbis turmatim invadunt; per vim reseras, pandunt; & Optimates intromissi, militem à prædis cohibent; sacramentis incolas sibi obligant; atque castris acropolim quaternis obsident; Marschalco borealem illius partem; Puchio australem; civibus orientalem; Nicolao autem, Benedictoque, fratribus Oxensterniis, ex insulâ S. Spiritus audacter eandem impugnantibus, quibus in subisdum Archipræsul cum CCC. accessit Olaus equitibus.

Krœpelinus huic incendio aquam tempestivè affusurus, cum venia Sueonum, obedientiam adhuc Erico spondentium, modo pacis vicissim satisfaceret, ad ipsum festinans, regni statum insinuat; mentem Sueorum fudderit, ac fidei præstitæ frustra commonet observandæ.

Sueones verò regiae non ignari perfidiæ, Marschalcum obsidio præficiunt Stockholmensi, Engelbertoque velut plebeculae pergrato, reliquarum committunt in regno arcum expugnationem. Is proinde Nycopiam protinus operâ Sudermannorum circumdat, & inaudiens Stockholmæ civium stationem, Calendis Februariis, ab erumpentibus clade affectam hostibus, periculo succursurus, illuc remeavit.

Ubi poscentibus regni incolis, gubernatorem, à quo hujusmodi obtinerent dannorum, vigore legum, compensationem, & tribus nominatis Candidatis, Marschalco, Engelberto ac Puchio, votis plurium Carolo defertur imperium. Unde competitores indignati, novæ student factioni, quæ mox sopitur, Engelberto in partem regiminis admisso, & Nycopiam remisso. Ubi culpâ præsidis temere in suâ pugnatum absentia, cognoscens, prudentiorem constituit, & Sudercopiam progressus, Ostrogothis Stegeburgum, ast Thiuistiis Stegeholmum, demandat expugnanda. Vestrogothis autem sibi ad limitem occurrere, Hallandiam ingressuro, persuadet, pergitque Calmarniam, quam armis cingit Smalandorum, ac Grimshusio Puchii servitores potitos resciens, Blechingos subjugat.

Obvios deinceps Vestrogothos jubet Lagaholmum impugnare, ipse met reliquum Scaniæ ac Hallandiæ, olim multo Sueonum argento comparatum, subacturus. Verum copiis Scanorum occurribus, pacta renovat ante biennium utrinque inita, idque die Parasceves. Interim Lagaholmum nostratis deditum, Arvido Suan committit defendendum, & sub Halmstadium movet, quod etiam occupat, uno consulum reluctante, divinitus mulctato. Varbergo tandem undique obsesto, cum Elsburgeni sic transigit Castellano, ut arce contentus, ab accolis nullos perciperet census. Indeque Axevaldum petit infestus, sub quo gravi correptus infirmitate, Oerebrogiæ in hexaphero deportatur.

Interea Carolus, regni gubernator, suo gnaviter muneri Stockholmæ invigilat, cuius invidens adhuc fortunæ Puchius, indeque lignatum

missus, suam populo clanculum suadet electionem. Quam hostis Dei permisso vindicat perfidiam, illo absente tribus ante Pascha septimanis, in stationem excurrens Puchianam, & plurimos servitorum abducens captivos, armamentarioque flamas subdens, quo illud, civitasque conflagrasset universa, nisi polemarcha subsidio venisset.

Quando etiam gubernator cognoscens, non deditum iri Nykopiam, nisi cum praesidio ipsem prius colloqueretur, illuc progrederit. Cui hostis obsidione liberatus, spondet arcis deditonem, XIV. ante solennia Paschæ diebus, si non impetraret intra bimestre sequens à Rege subsidium. Inde autem reversus, morbo uxorem lethali correptam, deprehendit, quam circa festum Paschæ mortuam, in cœnobio tradidit infulano sepulturæ. Ast filiam ex illa unicam, in Norvegiâ procurat educandam, quod indè fortassis conjux esset oriunda.

Ericus Suecos rebelles ad obedientiam compellendi auxilium, & Bugislaum ad gubernacula Scandiæ promovendi, aliundè consilium quæsiturus, veris initio, Pomeraniam ac Prussiam, ea propter invisit; ubi contribules amicosque consulit; militem congregat, & classem comparat, quâ cum solvens Dantisco animosus, XII. patitur navium jacturam. Quamobrem spe suâ dejectus, Krœpelini obtemperat persuasiōni, datisque ideo ad Marschalcum literis, impetrat cum Sueonibus colloquium, ferriis Pentecostes, praesentibus futuris, seque interposituris, Crucigerorum, Hamburgensium atque Lubecensium, oratoribus, Vasteni invitendum. Bugislao autem, ad Daniæ thronum ut compendia provideret occupandum, illi fortiores, aliisque Pomeraniæ Ducibus & Magnatibus, pandit regni munitiones.

Atqui gubernator Sueciæ sollicitus de responsō Vasteni dando, Engelbertum cum aliis regni Consiliariis, Stockholmiam vocat deliberatum. Quem in procinctu constitutum, vir nobilis, Benedictus Stenonius à Giöksholm, publicâ fide impetrata, convenit de suâ, & filii, ob imputatum Danicarum partium favorem, proscriptione, cum ipso vehementer expostulans. Tandem verò amicorum interventu, ita reconciliati, ut Benedictus, proximo Stockholmiæ conventu, suam probaturus esset innocentiam, & interim cum filio Magno, publicâ gauderet securitate. Nec Engelberto, vel sectatoribus noceret, quæ sponsoribus utrinque assignatis, roborantur, symposioque per Engelbertum exhibito, firmantur.

Hinc igitur sibi nihil omnino mali Engelbertus ab adversario formidans, ægerque adhuc in parones deportatus, cum uxore, liberis, & paucis famulorum, Stockholmiam versus per lacum Jelmerum navigat, ac tenebris se intendentibus, ad quandam Giökholtio vicinam divertit insulam pernoctatum. Quod Magnus Benedicti filius resciens, furibundus adnavigat; infirmum, ac inermem nefarie trucidat, die Veneris post festum crucis ab Helenâ inventæ; corruentis in terram, malleo caput contundit; reliquum sagittis constipat corpus; quod inhumatum relinquit, supellecilem diripit; uxorem & familiam captivat; unoque Engelberti servitore secum compulso, Oerebrogiam noctu festinat, per quem frustra castrum fraude adnititur in tenebris occupare.

Plebecula porro cædem Engelberti, usque adeò crudelē inaudiens, furens, fremensque Giökholtium properat; sicarios nequicquam indagat, qui conjugē Engelberti solutā, Ringstadii captarunt refugium; fūnus cum lachrymis in Ecclesiâ sepelit Medelofensi; viribusque & viris undequaque contractis, homicidam cum prosapiâ delevisset universa, nisi Marschalcus, publico inhibuisset edictō, sicarios persequi, hinc sese, velut sceleris in æmulum patrati complicem, reddens omnibus magnopere spe-

spectum. Quamobrem plebs ultimum charissimo præstitura obsequium aliud Engelberto, exhumatum in humeris fletu madentibus, Oerebrogiam transfert, tumuloque condit honoratiore. Illam reportavit mercedem patriæ, à tyrannis toties vindicatæ, Engelbertus!

Indè Marschalcus, totum securus sibi vendicans Sueciæ dominium, feuda sibi & suis, parùm aliis dividit. Ideoque catervatim ad illius confluent aulam reliquorum servitores Procerum, & Carolus propterò odium incurrit omnium, præsertim Erici Puchii, alias ob interitum Engelberti, Achatis sui fidelissimi, etiam Marschalco indignantis. Itaque in confessu Senatus frequenti, malitiam & avaritiam illi Puchius exprobrat; ad duelum provocat; inque necem ipsius cum asseclis conjurat, hujus patrandæ captans deinceps frustrà occasionem, Carolo insidias solerter evadente, ac minas Erici contemnente.

Jam dies imminebat dedendæ Nycopiæ, ac colloquii apud Vastenenses frequentandi. Idcircò Puchius Marschalco simulatè reconciliatus, poscit sibi potestatem fieri, Nycopiam eundi, & repulsam passus, quòd deditam sibi violenter usurpare machinaretur, suadet Carolo, viam illuc capessere per oppidum Telgense, sic commodius ipsum trucidaturus. Verum gubernator fraudis non ignarus, liburno pergit Nycopiam, hacque recuperatâ, Vastenum contendit, à quo illic Commissarii Regis inducias, ad XXIX. Julii, obtinuerunt. Quando Ericus Calmarniam venturus, & querelis Sueonum esset satisfacturus, regiaque interim præsidia in arcibus commeatum habitura, obsidione citra violentiam perseverante.

Dùm his Carolus in Ostrogothia deditus esset, in Uplandiâ Puchius non valens Engelberti sectatores, Oerebrogiae adhuc dominantes, ad suam contra gubernatorem pellicere militiam, Herestechium demersis obruit faxis, ut ille adveniens, transitu celocibus non impetrato, & Telgas divertens, in casses rueret illic expositos. Ast Marschalcus Herestechio repurgato, incolumis Stockholmiam reversus, Ericum convivio exceptum, probeque vino ineptum, hujus causam sciscitatur facinoris. Illoque audacter respondente, nulli tot hamos lucio, Stockholmiam & Calmarniam inter pelagus oberranti, unquam expositos esse, quot ipse Marschalco tetendisset insidias. Premit Carolus, altum corde dolorem, vindictamque in oportunius prorogat tempus.

Deinde gubernator Krœpelinus, ac unus proconsulum Hamburgenium, accito significant præsidi acropolis, transactionem Vastenensem, indè non parùm exhilarato, quod CXXX. morbo hyposarchæ, amisisset præsidiarios, & residui fermè omnes scipionibus innixi, vix ambularent, deditionem quotidie flagitantes. Sed Carolum de his factum certiore, transactionis invasit pœnitudo, non tamen ab illâ discedens. Ericus verò interim cum Vandalicis pangit fœdus in hostes civitatibus, ut etiam Holstiae Comitibus, XV. Julii, formidinem indè Sueonibus injecturus. Qui nihilominus castro ab Engelbertinis Oerebrogeni recuperato, cum Marschalco intrepidi Calmarniam festinarunt.

Illic etiam sub finem Julii, Ericum, Danis & Germanis Principibus, Proceribusque, affatim stipatum, comparentem, acriter objurgant perfidiæ, tyrannidis, & perjurii convincunt, ac demum emendationem sancte pollicentem, throno hâc lege restituendum pronunciant: Ordinibus regni, XXIX. Septembbris, Sudercopiæ congregandis, sufficientem præsens daret cautionem, quòd pactis adhæsurus esset imposterum, fidelius conventis; nullas alienigenis arces esset commissurus; in Sueoniâ conversans, omnes percepturus esset redditus; alibi degens, mediis contentus futurus. Horum itaque rigore permotus, Benedicto & Boëtio fratribus,

natione Suecis, Calmarniam protinus assignavit; Calendis Septembris, clero privilegia confirmavit, ac exemplò in Gotlandiam, velut propinquorem Sudercopiæ, velificavit.

Cum verò dies præ foribus esset Sudercopensis, XXVI. suorum mandat servitorum, illuc exploratum in catascopio contendere, quid confluentes molirentur ibi Sueones? Sed horrenda desæviens tempesta, vix à littore in altum proiectos, in conspectu Erici obruit fluctibus. Ac ipsum met, paucò post tempore Sudercopiam versus inde solventem, ità jactavit, ut aliquot navibus cum CC. classiariorum amissis, & superstitibus de classe in portus delatis varios navigiis, cum prætoriā in Gotlandiam ægrè admodum fuerit relatus. Sic divinitus ob mortem illorum, XXVI. in furentem compulsorum Oceanum, mulctatus, & à maligno, Suecos armis ad obtemperandum suæ voluntati, proposito adigendi, fuit retardatus.

Verùm fama interitum simul Erici quaquaversum falso promulgans, Carolo fuit gratissima, & nihilominus Sudercopiam profectus, V. Octobris, cum Danorum illic Proceribus, alium ad XXIV. Junii, approbat conventum, Calmarniæ obeundum, & pactis denuò subscribit Calmarnensibus, illorumque vigore, Stocholmiam, Axevaldium, Elsburgum, Arosiam, Stegeburgum, & Abogiam, ab alienigenis mox resignata, indigenis committit; Stegeburgum quidem Nicolao Stenonis, fororio, & Castelholmium Puchio, in feudum quorundam in primis criminum accusato, atque ægrè liberato, assignans. In distributione autem feudorum, Broderus Suenonis immerito neglectus, indignissimè tulit, acerrimeque in Marschalcum propterā inventus, jussu illius ibi capite plectitur, & Calendas circiter Novembres, Vasteni sepelitur. Ita Caroli ambitio & avaritia, patriam binis clarissimis, fortissimisque, intra spaciū annum, Heroibus orbarunt, quod justitia deinceps scelus graviter mulctavit.

Consiliarii denique à politicis ad Ecclesiastica conversi negotia, Sudercopiæ, XXVI. Octobris, quælibet Cleri privilegia suis ratificant literis, hæredes ac successores, suis ad insistendum vestigiis, efficaciter hortantes.

Cæterū initio Augusti, Petrum Dania Primatem violentiâ mortis amisit, & XI. mensis ejusdem clementiâ sortis, Johannem Laxman, Lundiæ Decanum, consequitur Archipræsulem. Olaus verò, Bergensium Antistes, cum nobili dispensat virgine, Luciâ minorenne, ut non expectato triennio, monasticē profiteretur in cœnobio Munchalvensi, quod nuper Ericus Benedictinis Bergæ ablatum, Romani facultate Pontificis, assignasset Brigittinis.

Verùm ex Norvegiâ Sudercopiam reversus, comperio Joannem Erici, tyrannum quondam Dalecarlorum, plebeculæ insidias formidantem, à Marschalco intreà illic facultatem impetrasse petitam, sub fide publica, in Vastensi claustro commorandi. Sed Carolus inde Stocholmiam festinavit, ubi Puchium novis deditum factionibus, sibi magis obligaturus, in feudum illi contulit Helsingiam. Qui tamen regnandi ambitione occæcatus, & avaritiâ tyrannideque Caroli nimium efferatus, insidias eidem passim struit, Uplandos ad rebellionem permovens, horumque inscius Gubernator, XXV. Novembres, Stocholmiâ Oerebrogiā versus proficisciatur. Atqui Kiopingiæ cognoscens, certum à Puchio interitum sibi præparatum, firmatâ melius Arosiâ, regreditur Stocholmiam, exercitum comparaturus.

Fugâ igitur exhilaratus Marschalci Puchius, Oerebrogiā per Nericios, & Arosiam per Vesmannos, odio Caroli flagrantes, cingit obsidione. Sed præsidiarii erumpentes, multâ incautam strage plebeculam, utrobique cumulatam, profligarunt, Puchio ad Montanos & Vallenses fe-

stinan-

nante, quos in Carolum instigavit. Qui auxiliaribus interea copiis contractis, Stocholmiâ progressus, rebelles graviter plectit, flammisque tradit antesignanos illorum, & Arosiæ literas bellum denunciantes, à Puchio, Dalecarlisque, accipiens, regni convocat Ordines illuc XIII. Januarii, comparituros. Nec Puchius Montanis & Dalecarlis contentus, Helsingos, Gestriclos, Medelpadios, Angermannosque, ad sua pertraxit castra, qui Marschalcum à tergo erant invasuri, dum à fronte illum Dalecarli distinerent.

Anno MCDXXXVII. Ostrogothi & Nericii, Dalecarlorum animati rebellione, Joannem Erici, Danum, ex cœnobio crudeliter protractum Västenensi, & Motaliæ in vetustissimo gentis foro morti adjudicatum, ibidem securi percutiunt, securitatem illi nuper à Marschalco concessam, prævaricantes.

Januario etiam mense, Carolus in Hellechogensium nemore congressus Puchio, Dalecarlis succineto, profligatur, & Procerum interventu illi reconciliatur, postridiè, cum Dalecarlis sermone in primis habito, ipsos gratiæ restituturus. Verum Puchius fraudulenter colloquio, aliquot diebus ponit obstaculum, boreales præstolans copias, & Dalecarlos in Marschalcum porrò instigans, quem ante poneque decrevit opprimendum. Tandem ille fraudis præmonitus, adversarios sub Ecclesiâ invadit Scultunensi; supplicibus tamen impertiens veniam, ac in colloquium cum Puchio Arosiæ habendum, consentiens, illic in cœnobio Dominicanorum reliquam arbitris controversiam submissurus. Itaque Ericus sub fide publica comparens, Marschalcum contumeliosius exagitat, & per fraudem illius, vindictam meditantis, judicio in castrum translato, pari omnino invehitur libertate. Unde contra fidem datam captus, Stocholmiam expeditur, ibique Christierni Nicolai, Dapiferi, hostis infensissimi mandato, capite plexus, Västeni sepelitur.

Ast sectatores quidam Puchii, Arosiæ in rotas aguntur, Dalecarlique & Helsingi, cum aliis adpropinquantes populis, hoc perculsi nuncio, domum catervatim dilabuntur. Olaus verò Upsalensis, ac Thomas Stregnensis, Antistites, quod hic Puchio vitæ securitatem, ad colloquium venturo, sancte spoponderit non servatam, & ille captivitati consenserit Puchii, gravius tamen haudquicquam passuri, atque nihilominus suam violarint Christiernus, & Carolus sponzionem, facrorum operatione supersederunt, quoad Româ delicti absolutionem impetraffent. Sed Marschalcus conscientiæ laxioris, inde nullâ tactus religione, tribus se liberatum æmulis, exultat; regnum oberrat, quod ad obedientiam revocat; mulctat rebelles; quartum, & quintum in se provocat adversarios, Christiernum nempe Dapiferum, aviæ suæ paternæ fratrem, ac Nicolaum Stenonis, fororium, potentiaæ, opulentiaæ, & magnificientiaæ, ut etiam suæ avaritiæ, invidentes. Johannes autem Kroepelinus, Abogenium Castellanus, Puchii servitoribus, aureos M. numerans, Castelholmium cum Alandiâ acquisivit.

Marschalcus interim comperiens Regem in Gotlandiâ degere superstitem, sævitiae ipsum pœnitet nuper perpetratae, & comitiis Stregnensiæ indictis, illic octiduo ante Pascha, decretum ac conventum, XXIV. Junii, futurum Calmarniæ, denuò ratificat. Post quatriduum verò, Senatus regni Stocholmiæ constitutus, civibus roborat Västenensibus privilegia, olim per Margaretam & Ericum donata. Quandò etiam Marschalcus insidiosum placaturus adversarium Dapiferum, sibi Stocholmiâ reservata, illi Nycopiam assignavit.

Primordio veris, Ericus in Daniam reversus, ante VIII. Septembbris, se Calmarniam non venturum, promulgat, mox in Gotlandiam remeans. Quod nostrates in progressu itineris cognoscentes, domos quoque repetunt.

tunt. Sed Marschaleus, Vesmannos, & Dalecarlos, ad rebellandum sibi à Dapifero forsitan instigatos, literis nunciisque morigeros reddere frustra laborat, rebellionem insuper cæde præfectorum cumulantes. Quibus tamen pro tempore connivens, instantie die, Calmarniam properat, quem alii Sueonum Commissarii prægressi, cognoscunt Ericum illic non comparitum, & redditum Marschalco in viâ constituto, persuadent. Deinde nostriates, Olaus Upsalensis, Magnus Abogensis, Præfules, & Christiernus, Sueciæ Dapifer, arrogans Caroli dominium pertæsi, novam cum Danis ac Norvegis concipiunt unionis formulam, huicque & aliis paetis conventis, si Ericus subscribere vellet, thronum ipsi restitutum iri, promittunt.

Hoc itaque proposito, ad illum festinant in Daniam, & Lundiam venientes, comperiunt reliquos Danorum, ab Erico penitus aversos, Bungislavum obtrudere conante, alienigenisque arces regni deputante. His tamen Sueones nequaquam moti, indè Abogensem Episcopum, & Krœpelinum expedient Hafniam, Regi adhuc delatueros Sueciæ clavum, dummodo æquis satisfaceret postulatis. Qui tamen ægrè ipsius ad colloquium permitti, aliud non impetrant responsum, Septembri mense, quā novum Calmarniæ, Calendis Augusti, utrinque colloquium, quod neque invise re dignatus fuit Ericus.

Cum isto autem nostris responso revertentibus, regni Optimates Arbogiæ confluentes, approbant diem Calmarniæ propositum, & Marschalco illic Dalecarlis, Vesmannisque, sibi velut rebellibus, pedum ac manuum minanti obtruncationem, suadent jure potius cum illis esse procedendum, Dapiferque suis ipsos literis obedientes se redditurum, promittens, se rebellionis prodit authorem, quos ad suas magis partes hâc intendit astutiâ pertrahere. Imò in aurem Marschalco denunciat, multos Procerum ipsi contrarios, quorum ope dominium illi non difficulter, modo vellet, posset eripere. Verum Carolus fraudis non inscius, ad proxima ordinum appellat comitia.

Denique cum Dani Norvegum, & Norvegi Danum, sibi ab Erico intrusos, non possent citra scandalum, sufferre Antistites, horum impletat Lundenium Præful à concilio Basiliensi, XVI. Septembris, translationem, & mense Junio, Gabnoensi, S. Agnetæ monasterio, plurimas donationum gratias.

Anno MCDXXXVIII. Christiernus Sueciæ Dapifer, ex condicto Marschalcum Dalecarlis amicaturus, vel potius in ipsum instigaturus, Enecopiæ, Januario mense, primarios Dalecarlorum convocavit. Illi autem Marschalci potentiam subverentes, culpam fatentur; mulctam pro cæde spondent præfectorum, & census promittunt solvendos citra Februarii Calendas, Procerumque obtinent quorundam intercessione Caroli gratiam, factio Christierni repudiata. Itaque suo Dapifer voto apud Dalecarlos frustratus, Vermelandos Marschalco facit rebelles, quos ille ad obsidendum properantes Oerebrogiam, per Arvidum Suan profligavit, CXX. illorum cæsis, & reliquis ad obedientiam perductis, vitâque donatis, præter duos illorum antesignanos, flammis absumptos. Deinde cum ordinibus Arbogiæ convocatis, quinque ante Pascha hebdomadibus, responsa Erico Calmarniæ danda, ponderat, & una secum ituros illuc nominat Commissarios. Prius tamen suo Suecis inviso, juxta Dapiferi relationem, dominio poscebat defungi, & cunctis reclamantibus, aliumque non optantibus gubernatorem, quoad regem obtinerent, iis minimè invitus acquievit, non citra Dapiferi confusionem. Dissimulans tamen iram, ac ipsum velut antea, patris vocabulo honorans, filius vicissim appellatus, ore mel, corde fel.

Sed Ericus Vordingburgi, Danis ad comitia vocatis, veterem occinit can-

cantilenam, Bugislai suadens inaugurationem, & non persuadens, dominium nihilominus illi, aliisque Pomeraniæ demandat Principibus, ac primo vere in Gotlandiam, cum potissimo regni thesauro, indignabundus navigat. Itaque Daniæ plebecula, metu Regis liberata, Ecclesiasticis & Politicis juxta, consuetos abnuit census. Quam optimates utriusque Jutiæ, Holsatico domituri subsidio, Comiti Adolpho præstant homagium, Haderslebiam & Arrhiam hoc pacto subjuganti.

Dantisci, XVIII. Maji, Carmelitæ in suâ permiserunt Ecclesiâ, plangam versus borealem, Olae Sueciæ Primi, aliisque Upsalensium Patribus, civibus Stocholmensibus, & universis Sueciæ mercatoribus, facellum S. Erico fundandi potestatem, illic fraternitatem instituendi, mortuosque ibidem suos tumulandi. Hic proinde Sueones Gedani negotiantes, sua deinceps religionis frequentarunt exercitia, & aræ tabulam, effigie S. Erici regis illustrem, donavit Johannes, Upsalensis Canonicus, Conradusque Rogge, civis Stocholmensis, quæ cum cœnobio postmodum conflagravit.

Sed Novimontano Benedictinorum, in diœcesi Moguntina, monasterio, S. Birgittæ facellum fuit dicatum. Ideoque XXV. Junii, Præpositus & Decanus cœnobii, per literas à Vastenensibus particulam reliquiarum, de Brigittino poscunt corpore, participesque fieri bonorum spiritualium, eandem sui vicissim conventus, illis spondentes gratiam, votorumque compotes evadentes.

Quo etiam die, Olaus, Upsalensium Præful, Nycopiæ vitam clauserat. Ille siquidem cum aliis Sueonum, Calmarniam properans, quod nimium regiæ faveret causæ, in ferculo Nycopiæ amygdalino, per Marschalcum, ut fertur, die Veneris misso, hauserat toxicum, mortemque osoribus Erici pergratam. Qui deinde continuantes iter, Calmarniæ à regiis cognoscunt legatis, ipsum pactis non adhæsurum, nisi liberum sibi esset tribus Sueciæ primariis, ex arbitratu suo providere munitionibus.

Nostrates verò, non tantum huic arroganti non consentiunt petitioni, sed ne aliis quidem, quam indigenis stipatum, in Sueciam Regem permisum iri, asseverant, ipsi propterea renunciantes obedientiam, ut etiam regnorum unioni observantiam, Danorum se tributarios diutius haudquaquam futuros, protestando. Ita domum reversi, ordinibus, mense Septembri, Calmarnensem insinuant transactionem, quorum assensu Ericus peremptoriè citatur, intra trimestre in prato responsurus Morensi Sueonum objectionibus, pactisque satisfacturus, alias throno spoliandus, & sequaces vitâ, bonis honoreque privandi.

Dapifer ad privata conversus deinde negotia, plus feudi poscit à Marschalco, Gestriciam ab illo impetrans, & dolo Helsingiam peculiari, licet sena prius haberet territoria, præter Nycopiam, ejusque ditionem. Carolus etiam publicis paulisper rebus sepositis, privatis invigilat, secundas apparans nuptias, quas V. Octobris, Stocholmiæ, regiâ planè magnificentiâ, cum venustissimâ Caroli Ormonis filiâ, Catharinâ, natali suo die, post annum XXX. recurrente, celebravit. Atqui Upsalenses post Olai mortem, suam deputant concorditer insulam, Nicolao Vexionensem Præfuli, Basileæ constituto. Ubi suæ literas designationis accipiens, ex Sueoniâ expeditas, à concilio non difficulter, propter summam prudenter obtinet confirmationem, Calendis Octobris. Et præter inaugurationem, facultatem insuper nanciscitur vacantia Upsaliæ beneficia conferendi, quorum alias collatio, ex decreto concilii Lateranensis, ad sedem pertineret Romanam. Verùm VII. Octobris, Patres concilii decreto sub-

scribunt Innocentii, de non admittendis Principibus, aut Politicorum ullis, in Præfulum electionibus Sueticorum. Nec minus aliis quoque liberaliter donatus prærogativis Nicolaus, ad novam indè festinat cathedram. Qui mox domi pro nonnullis Ecclesiæ prædiis, fundum comparavit Stechensem, in quo munitissimam construxit, ad fastigiumque perduxit, arcem, à Steno-  
ne Sture postea dirutam.

Isto etiam anno, Ericus Rugiam coronæ subductam Danicæ, Vartis-  
lao Pomeraniæ Duci, tribuit jure possidendam hæreditario. Hâc igitur  
aliisque de causis sæpius hoc repetitis opere, Dani meritò ipsum diadema  
privandum decernentes, XXVII. Octobris, illud Christophero, Bavar-  
orum Principi, sorore genito, & priscis Sueciæ, Daniæ, Norvegiæque  
monarchis oriundo, per literas detulerunt. Nec thronum recusavit can-  
didatus, modò Sueticum, & Noricum simul consequeretur, mense-  
que Novembri, per literas suam suasit electionem Sueonibus. Ast surdis  
canit fabulam, utpotè gravissimo Danorum jugo, colla submittere am-  
plius Suecis, & Norvegis, præcise abnuentibus.

De clavo interea corrixantes Sueonum, Marschalcus & Dapifer, huic  
ille fraudes in concessu Optimatum Stockholmiaæ multiplices exprobrat, pro-  
testans, quòd nullum, vel totum habiturus esset regni dominium. Quo-  
circà Dapifer adversarii potentiam formidans, se omni abdicat regimine,  
quod solus Marschalcus, de consilio totius Senatus usurpaturus, & feuda  
quælibet esset distributurus. Unde suo invitatus munere, novâque Dale-  
carlorum provocatus rebellione, sub finem Novembris, arma iis intulit.  
Quandò Christiernus Nycopiæ cum suis consultat amicis, clanculum de re-  
vocando in Sueciam Erico, turgidum nimis Marschalci fastum oppres-  
tro. Deinde à Carolo, Dalecarlorum victore, Christiernus de celebra-  
ndo Sudercopiæ, VII. Januarii, conventu admonitus, pro recuperatio-  
ne arcis Calmarnensis, Regi adhuc obsequentis, consensum denegat.  
Quamobrem Archiepiscopus civili occursurus bello, Marschalcum Eneco-  
piam vocatum, ad restituenda Christierno feuda hortatur, alias interno &  
externo implicandum esse prælio. Neque reluctans salubria monenti, Ca-  
rolus Præsuli, Nycopiam ablegato Benedicto Joannis à Salestad, ad Dapi-  
ferum, significat de feudis ipsi provisum iri, dummodò patriæ fidus per-  
manere vellet; sin minus, illum cum sectoribus gladio esse compescendum.

Anno MCDXXXIX. Christiernus Regis fretus potentia, promissis,  
& minis Caroli non movetur, cumque filio Johanne, Nicolao, Benedito, & Boëtio, Stensonii, aliisque cognatis & amicis, Erici machinans  
reductionem. Qui tamen sibi metuentes à Marschalco, Sudercopiam ver-  
sus proficidente, Nycopiæ, Stegeburgi, Ringstadholmii, & Calmarniæ,  
sui parant defensionem. Carolus verò Sudercopiam veniens, illuc Nico-  
laum sororium Stegeburgo invitat ad colloquium. Qui obsidibus acce-  
ptis, advolat, interrogatusque, causam rebellionis insinuat, quòd rela-  
tione cognovisset Dapiferi, Carolum suam, & fratrum, Calmarniam defen-  
dentium, extremam moliri perniciem, ac tandem factò illi reconciliatus  
animo, Stegeburgum remeat. Quandò etiam Carolus ex literis cognovit  
Dapiferi, ad comitia eum non venturum, quòd cum Nicolao, Benedito,  
& Boëtio, Regem inducere decrevisset.

Ipse nihilominus cum reliquis illic Sueciæ Ordinibus, Ericum denuò  
repudiens, quòd citatus nuper non compareret, Calmarniamque & Els-  
burgum, ei quantociùs erienda constituit, illam Arvido Suan impugnan-  
dam mandando, & hoc sibi recuperandum fuscipiendo; quod Henrico  
Snechenborg extortum, fratri suo Turoni commisit defendantum. Sed  
interim, XIII. Januarii, à Marschalco captivatum missus Christiernum,  
Clau-

Claudius Lang, noctu illum comprehendit, & vincitum perducit Oerebrogiam. Quod Carolus sub Axevaldio cognoscens, illuc accelerat; à capto Viburgum ac Nycopiam reposcit, subque hanc cum illo profectus, ab uxore filioque audacter defensam, non impetrat, donec admotis à Carolo machinis territi, captivique miserti, hâc dederent conditione, quod illâ traditâ, libertatem, Viburgum, & suam Christierno, Regem abjuranti, gratiam ille restitueret. Quo tempore flagitans Krœpelinus licentiam adeundi Regem, commoda regni, & Marschalci victoris, fideliter promoturus, impetravit.

Hâc porrò defunctum procellâ, Carolum, alia protinus excepit, quam Nicolaus fororius, suos Calmarniæ fratres à Smalandis ægrè ferens obfessos, commovit, per summam Ostrogothis insuper dominans tyrannidem. Quarè Archiepiscopo, Dapifero, & mediocri stipatus exercitu Marschalcus, Stegeburgum proficisciuit, ac Nicolaum ab æquis abhorrentem pacis conditionibus, binis etiam obsidet castris. Quibus Erengislo Nicolai, & Hermannus Berman, præficiuntur, id muneris abnuente Johanne, Dapiferi filio, potiusque Ringstaholmum resignante. Illi autem post abitum Caroli, seducti fraudibus Nicolai, factis cum ipso induciis, ad Paschalia prorogandis solennia, solvunt obsidionem, & cum illis ad Gubernatorem Ericus Stenonius abiens, Nicolao fratri sub fide publicâ flagitat, ut sui conveniendi copiam facere non dedignetur.

Huic verò consentiens petitioni Marschalcus, comperit Nicolaum, post suorum indè abitum, mox in Gotlandiam profugisse, & creatum illic à Rege Marschalcum, cum CC. rediisse in Ostrogothiam militibus, regioque decreto, incolis Ericum commendante. Simul etiam inaudit, Norvegorum quosdam ab Erico persuasos, ductore Johanne Vmresa, Elsburgum acriter impugnare, ac Ostrogothis primum subvenire decernens, suas illuc copias expedit. A quibus festo Paschæ Nicolaus cum suis indè fugatus, Gotlandiam repetit, & victores Stegeburgum denuò circumdant. Hos cum pluribus accedens Carolus, per bimestre continuat impugnationem. Et interim Thuro frater, menstruas pæctus inducias cum Norvegis, eò advenit postulatum suppétias, ac CC. obtinet milites, literasque, Nericiis, Vesmannis, & Vestrogothis, Elsburgo ferre subsidium mandantes. Tot proindè committones Thuro nactus, hostem grandi opprescit clade fugatum, & Marschalcus illâ, præsidio Stegeburgensi concedit lege inducias, quod nisi subsidium à Nicolao, citra VIII. Septembbris, consequeretur, arcem dederet.

Christophero interim sub principium veris Lubecum adventanti, Daniae occurrit Senatus, ubi XXIV. Junii, literis ad valvas Ecclesiarum affixis, palam Erico pristinam renunciavit obedientiam. Sed Christopherum denuò Regem illic salutatum, in Daniam honorificè perduxit, ipsique obstantes proscripsit indigenas, & alienigenas. Ideò Pomeraniæ Duces, rebus suis diffidentes, in Gotlandiam profugiunt, & Christopherus desertas occupat munitiones ditionesque. Ericus verò Stegeburgum obsidione liberatum cognoscens, profugis comitatus, aliisque Suecis, Danis, & Noryegis, illuc festinavit. Indeque literis per Sueciam publicatis, regni Proceres, sub publicâ vocat fide ad colloquium, comparere abnuentes. Marschalcus tantum cum regiis in Ecclesiâ colloquens Achrensi legatis, Johanne Krœpelino, & Magno Gren, postulatae consentit inducarum prorogationi, ad XV. Novembris, ac conventus subscrabit Jenecensis celebrationi, ubi Calendis Novembris, Scondiani cum Germanis de præsenti decertaturi essent controversia. Quam nonnulli Suetorum Optimatum, etiam Stegeburgi Ericum, XXIX. Septembbris, convenientes, coram ventilarunt.

Deinde XXV. Julii, Danorum copiose idem respondebat literis, & objec-

etionibus, inter alia protestans, non sibi Sueonum, ab unione regnum imputandam esse defectionem, sed intolerabili Danorum in populos confederatos, avaritiae, ac tyrannidi adscribendam. De quo, velut & reliquis, se paratum afferit articulis, coram arbitris disputare competentibus, suadens, ut interim Dani æquiora sequerentur consilia, quam si bi contumaciter exturbato, Christopherum subrogando, illumque simul dehortans à suscipiendo ingratæ gentis gubernaculo. Demum non exceptato reliquorum Procerum Sueticorum adventu, Stegeburgo in Gotlandiam remeat, inde negotiatores permovens Vandalicos, ad suscipiendum per legatos suæ causæ in proximo Jenecopiæ colloquio defensionem.

Gubernator quoque Sueonum Carolus, suo non indormiens muneri, Telgæ Ordinum peragit comitia, in quibus decisum est, quod defesso bellis regno diuturnis, aliquantis per sub regimine Marschalci esset paucandum. Deinde Regem indigenam non alienigenam constituendum esse; Ericum & Christopherum juxta repudiandos, licet Sueciæ Archipræfus Nicolaus, hujus gnauiter promoueret illic designationem.

Hic etiam citati comparentes Nicolaus, Benedictus, & Boëtius Stensonii, Stegeburgum atque Calmarniam pandunt Marschalco; fidelitatem Erico subtraetam spondent, idemque factitant Johannes Krœpelinus, & Magnus Gren, cum aliis Optimatibus, Regem detestantibus perfidissimum. Tandem senis ad Jenecopensem deputatis transactionem Commissariis, finiuntur comitia, & Marschalcus, XXI. Octobris, cum Thiröne uterino fratre, Jenecopiam versus contendit. Atqui mortuo in via fratre, porrò non perrexit Carolus, totum demandans negotium collegis, qui jenecopiæ diu multumque à Vandalicarum oratoribus ciuitatum, ad restituendum throno Ericum, solicitati, constanter renuunt, eidemque subiectionem per literas renunciant, XXVII. contra illum publicant articulos; scelerata, perfidiam, periuria, violentiam, rapinas, adulteria, proditiones, & tyrannidem exaggerantes foedissimam; quibus inhumanissime XLII. annis Scondianos afflixisset, & præsertim Sueones, teste Lindenbruchio. Quos etiam deinceps in Gotlandiæ commorans, septennio acerbius piraticis infestauit excursionibus, per sceleratam Christopheri indulgentiam, atque conniventiam.

Extremò jenecopiæ Dani Sueonibus congressi, Norvegis absentibus, regnorum sub Rege suadent unionem, suumque mirifice commendant Christopherum, illius callide insinuantes electionem, & ipsum, inconsultis Sueonibus, contra foederis pactum à se designatum, excusantes. Nostrates itaque non omnino illorum votis reluctantibus, in primis approbant, eam unionis formam, quæ anno MCDXXXVII. Calmarniæ esset elaborata, non universim confirmata; Nimurum quod Scondiæ Regna uno trina Rege gavisura essent, Erico tamen ex illis proscripto; Quod nemini Regum nova liceret condere statuta, absque Ordinum sensu; Quod Monarcha Scondiæ jura & privilegia servaret illibata; suos cuique regno Dapiferum, Marschalcum, Cancellarium, Architriclinum, aliosque ex indigenis deputaret peculiares officiales; Quod neutrum regnum, citra reliquorum assensum, bella susciperet; Quæ implorata ferrent subsidium belligeranti, Rege damna ipsis compensante; Quod illi mortuo, XL. Proceres regnum, Halmstadii convenientes, alium subrogarent, prælato Regis filio, si idoneus esset, alias Optimatum aliquis ex uno regnum forte quæsus, sublimandus; Quod vectigalia imminuerent; moneta nobilior signaretur; Tribus in quolibet regnum annuatim mensibns Rex moraretur; alias Calmarniæ, XXIV. Junij, conventus Scondicorum Procerum celebraretur; Quod libera negotiatio, bonorum utro-

utrobique justa usuratio, & injuriarum omnium protelatio, florerent. Hæc Calmarniæ ac Jeneopiæ decreta, Norvegis protinus insinuabantur, nec libenter approbabantur. Quòd verò Dani tantoperè unioni regnorum semper inhiarent, & Sueones Norvegique illam detrectarent, hunc sibi trilicem Scandia nodum, illi fructuosum, his extitisse perniciosum, clarrisimè manifestant.

Verum Jeneopiam regressus comperio, Lundensium illic Antistitem, Calendis Novembbris, monachis contulisse Vastenensibus, potestatem absolvendi peregrinos, ex sua illuc proficiscentes diœcesi, à casibus sibi reservatis, qvos simul XL. dierum donavit indulgentiis.

Hunc etiam prope annum, Patres concilii Basiliensis, infensi Brigitinis, propter suspectam cœnobiorum ex utroque sexu conjunctionem; revelationum ex suggesto Brigitinarum promulgationem; largamque nimis indulgentiarum S. Petri ad vincula, jaætationem, Vastenenses citarunt. Qui intrepide comparentes, et si doctissimorum quorundam patrocinio virorum, essent nixi, quos inter potissimi extiterunt, M. Johannes Roberti, Abbas Bonevallenium, Benedictinus; M. Heimericus à Campo, Academiæ Procancellarius Coloniensis, & M. Johannes à Turrecremata S. Mariæ Transtyberinæ Presbyter, Cardinalis, qui mox dubiorum à Patribus motorum tradidit enodationem, sub proprio ac Cameræ Pontificiæ, sigillis; tamen victores domum non redierunt.

Isto similiter anno, Christina filia Amundi Jonæ, ac vidua superstes, Amundi Sture, prædium Vasteni situm, ubi hodie visitur castrum, pro CC. marcis Gotlandicis, sibi & hæredibus comparavit.

His annum clauderem præsentem, nisi me perfidia revocaret Nicolai Stenonis; qui finito Telgæ conventu, contra fidem ibi datam, mox ad Ericum in Gotlandiam profugit, & servitores postea cum LX. equis Ostrogothiam, IX. septimanis obvagantes, crudeliter ipsam diripiunt. Quos illic palantes, ut etiam Nicolaum, primo reditus ex Gotlandiâ die, Marschalci cohortes, inter Norcopiam & Sudercopiam aggressæ, hunc captivum abducunt Norcopiam, ubi paucos intra dies merore ac peste deceffit, & IX. illorum Sudercopiam transmissi, palis rotisque imponuntur.

Berga demùm percelebrè Noricorum emporium, mense Junio, gravissimâ iterum clade afficitur, à famoso utriusque Oceani prædone, Bartholomæo Fogto, immensis spoliata opibus.

Anno MCDXL. Magnus Gren, immemor fidei Marschalco præstitæ, partibusque iterum Erici adhærens, concreditum sibi à Carolo Borcholmio Oelandiæ, Sueonibus pandere tergiversatur. Ideò profectus Calmarniam Gubernator, ipsum sub fide accepit publica, hortatur ad resignandam patriæ munitionem, & abnuentem cingit obsidione, principio Jejunii Paschalis. Inde autem digressus Stockholmiam, & tribus ante Pascha septimanis ingressus, comperit Krœpelini obitum. Ideoque præside orbam subditurus Abogiam, ab æmulis priusquam invaderetur, in Finlandiam properavit, III. Maji, citra molestiam occupans illud castrum, & in reditu Castelholmium Alandiæ recuperans, feriisque Pentecostes remains Stockholmiam.

In Daniâ interim Christopherus, XIV. post Pascha diæ, in Viborgensi judicio, Regali se obligat Ordinibus juramento, quod jura privilegiaque illis fideliter esset servaturus. Sed mense Aprili exeunte, Procerum consensu Danicorum, integrum Jutiæ australis Ducatum, Adolpho Holstiaæ Comiti, in feudum concessit hæreditarium, eum sibi prævisu-

visurus commilitonem, in Sueonum & Noricorum subjugatione, auxiliarem.

Marschalcus porrò Sueciæ, nec Danos, neque formidans Holsatos, peractis solennibus Paracleti, ornatissimâ solvit classe Borcholmum versus, obscientibus auxilium laturus. Cujus adventu territus Magnus, ultrò spondet arcis deditioñem, nisi ante XXIX. Julii, subsidio per Eri-  
cum esset adjutus. Quam acceptans Gubernator conditionem, ex insulâ pergit Calmarniam, ubi occurrentes juxta pactum Jenecopense, Præfūl Lundenium, & Claudius Ronhou, Daniæ Marschalcus, Carolique foro-  
rius, suum illi Christopherum prolixo commendant sermone. In hujus si consentire vellet electionem, aureos Carolus eslet habiturus montes; nulli censuum de regno perceptorum, vel habiti regiminis facturus esset rationem. Attamen ille non sat fidens promissis, totum devolvit negoti-  
um ad regni Ordines, XXIX. Septembbris, Arbogiæ congregandos, quorum ex suffragiis illic daturus esset responsum.

Deinde Carolus veterem suam de obtinendo regni diademate, spem vocans in dubium, quod pertinacibus Danorum votis, permultos Sueonum sciret faventes, longævam Västenis monialem, prophetiæ dono præditam, hâc super re protinus consulit. Quæ thronum Sueciæ Christophero in primis, & postmodùm Marschalco, cessurum respon-  
disse perhibetur. Hoc ille solatio pro tempore contentus, deditum XXIX. Julii, Borcholmum occupavit.

Lulensis hâc æstate populus, in occiduâ Sueciæ Bothniâ, Lapponiæ conterminâ, habitans, horrendâ pestis contagione, præter morem frigidissimæ regionis, cruciatus, & supplex in Ecclesiâ congregatus, vo-  
vet ex quolibet in parochiâ homine, denarium, basilicæ quotannis Up-  
salensi transmittendum, ac exauditus, fideliter persolvit. Verùm post  
novationem religionis, cessit illa pecunia scholæ in falarium, Gevalien-  
sis moderatori.

Dani autem cum spe mediocri Calmarnia reversi ad Christopherum, Norvegos pariter inescandos vocant ad colloquium. A quibus Jo-  
hannes, Aslogenium Antistes, natione Danus, cum aliis expeditus, non fraudulenter solum Christopheri approbat electionem, sed in Daniâ remanens, Norvegiæ documenta, & privilegia, suis prodidit popularibus. Hâc Norvegi perfidiâ meritò offensi, fœdus cum Sueonibus in Danos pangere statuunt, hujusque nomine Sigvardus Jonæ, Dapifer, Colbernus Gast, & Henricus Schacht, regni Senatores potissimi, literis ad nostra-  
tes primò destinatis, eorum amicitiam, subsidium, ac confœderationem expetunt, & vicissim deferunt.

Jam conventu Arbogiæ imminente, Suecos illic frequentes compel-  
lant Dani, nomine iterum Christopheri, à nostris propositas electionis con-  
ditiones, ab illo spondent subscriendas; feudum Marschalco deputatum li-  
beraliter confirmandum, & alium super his II. Februarii, inter Suecos, Da-  
nos, Norvegosque, conventum Ludosiae obeundum, unâ consentiunt, redeuntque. Sueci deinceps IV. Octobris, datò Norvegis responso, dela-  
tam non aspernantur amicitiam, dummodò primùm damnis anno illatis  
superiori satisfacerent, & decreta nunc Arbogiæ insinuantes, suadent, ut  
Lodosiae non gravarentur comparere.

Anno MCDXLI. Christopherus probè sciens, totam suæ promotio-  
nis molem, in Marschalco, velut cardine, pendere, ipsum sibi quantocyùs  
blanditiis statuit devinciendum. Itaque amicissimis Halmstadium literis  
vocato, & XIII. Januarii, comparenti, postulata confirmat promptissime  
feuda, Finlandiam propter labores in regimine diu exantlatos, superstite  
con-

concedens, aſt Oelandiam hæredibus etiam, nomine sumptuum reipublicæ impensorum, annuens, donec XL. millibus marcarum redimeretur. Promittit insuper ſuo diplome, quod nemini administratæ ſexennio reipublicæ, aut levatorum censum, offeſionum, forte vel irrogatarum, facetus eſſet rationem; tandemque lautiflame trahatum; liberaliſſime donatum, & in parentem adoptatum, ad Ludofienſem dimiſit conuentum, bellèque inſcatum.

Illic principio Februarii, Sueones & Norvegi cum Danis congreſſi, his Christopherum legibus Regem deſignant: Literis & jura-mentis ſpondere, quod ex præscripto juris patrii; veterum privilegiorum; laudabilemque conſuetudinum, eſſet gubernaturus, adhibito Senatus utriusque conſilio; quo neque inconsueto, beneficia, vel officia, conſerret aliqua, ut neque bella citra illius fuſciperet approbationem, aut contributiones imponeret. In Sueoniâ, vel Norvegiâ commorans, Cancellarium, Architriclinum, pocillatorem, aulæ, cubiculi, & ſtabuli, Magistros uſurparet indigenas; qui Regem in colliminio fuſceptum, deducerent in regna, & reducerent. Census annuos in conſuetâ percipe-re qualitate, ac quantitate, in regno conſumendos, non foras emit-tendos, ut neque theſaurum reipublicæ. Prisca documenta & diploma-ta, in Daniam olim evecta, reſtituret; captivatis in bello Holsatico, aut Vandalico, refunderet damna; monetam cuderet præſtantiorem; Suecis liberam Bohufii permiſſeret negotiationem, à vectigalibus immunem; Ad quos ſimul ſpectaret, quicquid trium regnorū eſſet armis deinceps Moſcho ſubductum. Et demum ſpondere, quod reditus ex prædiis exu-lantium haec tenus quorundam à Sueciâ perceptos, non eſſet Marschalcus, aliivè, refuſuri; hiſque firmiter roboratis, Calmarniam XXIV. Junii, ad-veniens, inprimis ad diadema Sueciæ, deinde Norvegiæ, capessenda, per-duceretur. Has verò conditiones Christopherus ſibi per Danos Ludofia-reduces, oblatas, Hafniæ XXV. Aprilis, lubens acceptavit, & ratificavit; minùs tamen ſervavit.

Sed inde Primas Sueoniæ, Nicolaus reverſus, Sudercopiæ pro-vincialem celebraſt synodum, in ipſâ concludens, ex suffragio reli-quorum Præſulum ſibi affidentium, XII. Junii, hos articulos: Morientibus ex Clero eſſet libera, de propriis condendi bonis testamento, po-teſtas. Intestato decedentis bona, ſolutis primum debitibus, cederent hære-dibus, pauperibus, præſertim ſtudioſis, & tertia illorum portio, defun-cto in ſolatium animæ converteretur. De Academiâ in regno alicubi fundandâ, eſſent Præſules imposterū magis ſolliciti. Scholares ju-ſto diutiū evagantes, tenore ſtatuti, plechterentur Arbogensis. His mo-deſta permiſſerentur convivia, ex decreto concilii Basiliensis. Illo-rum clerici, pro laſione mutuâ leviori, convenienter caſtigati à Ludirectore, per Epifcopum absolverentur. Clericus nullo eruditio-nis gradu, vel honoris alterius donatus, pileum non geſtare, quadratum, ſub pœnâ amiffionis. Suspectum criminis, non fugæ, capti-vans Archiepifcopus, vel Epifcopus, clericum, LXXX. mulctaretur ille marcis, & hic XL, quarum una cederet pars capto, altera paupercu-lis ſtudioſis, & tertia Ecclesiæ cathedrali. Viduus ducens viduam, non ſolenniter benedicetur, ſed virginem, aut defloratam. Festum S. Annæ, IX. Decembris die, eſſet toti Sueonum Ecclesiæ ſolenne. Symbolum fidei feſtitatibus IV. Ecclesiæ Doctorum, recitaretur, vel decantaretur. Idem cum oratione Dominicâ, & ſalutatione Angelicâ, vernaculè redditum, festis & Dominicis coram populo diebus, à parocho pronunciaretur. Non ſol-ventes decimas, Ecclesiasticâ privarentur ſepulturâ; ut etiam ſeipſos oc-

cidentes. Voluntarii aliorum homicidæ, ipso incurrerent factò excommunicationem. Parochus ob lites privans civiles, aliquem in Pascha, Eucharistiæ sumptione, tribus marcis mulctaretur. Idem plures die Parafceves, visitans ex officio Ecclesiæ, semel plenè communicaret. Atque hæc quotannis semel in Ecclesiæ publicarentur decreta cathedralibus, cum sententia in violentos prolatâ hospites clericorum.

Verùm in synodo suæ Nicolaus diœcesis, instituta Upsaliæ, illius mandat inhabitatoribus, ut Parasceven, prævigilia SS. Johannis Baptiste, Laurentii, & assumptæ in cœlum Deiparæ, solo pane & aquâ contenti, jejunarent. Quod ipsum sponte facientibus, pridiè S. Erici, quando ex lege cibis vesci licitum jejunii Paschalis, XL. dierum concederet indulgentias.

Ex oppido autem Nicolatus Sudercopensi cum Marschalco, aliisque Præfulum & Procerum, perrexit Calmarniam. Sed Christopherus illuc confluentibus significat, quod bello implicatus domestico, ante XV. Augusti diem, non esset venturus. Enimverò plebecula borealis Jutiæ, ab Erico instigata, census Regi, aliisque suis abnueret dominis, & ad pœnam quæsita concurreret undique, XXV. millium complens numerum; stragam ederet passim adversariorum, illique tandem Christopherus VI. Junii, congressus, victoriam reportat, MDCCC. prostratis. Ast interim Sueciæ gubernator, Stockholmiam prægressus, adventui necessaria regio præparavit.

Reliqui Sueonum Calmarniæ præstolantes, initio Septembri, Christopherum illic decenter exceptum, splendidâ Stockholmiam classe perdunt, quam solemnitatem ingreditur, ab Archipræsule, & Marschalco, utrinque stipatus, à populoque ad spectaculum effuso, Carolum ob corporis proceritatem, ac elegantiam, throno convenientiorem, quam se, velut obesi, pusilliæ corporis fusionem, submurmurante, contemptus, tacite indignatur. Inde sequenti deductus mense in pratum Morense, ab universis regni ordinibus, concorditer Rex salutatur, XIII. Septembri, & postridie coronatus Upsaliæ, denuo Ecclesiasticis & Politicis roborat efficaciter privilegia; Proceres ex Sueonibus, Danis & Germanis, LXX. honore decorat Equestri, quorum primus esset Marschalcus. Denique inaugurationis peractâ festivitate, Stockholmiam Christophero reverso, tradit XXVIII. Octobris, Carolus acropolin, viætualibus repletam, cum aliis regni munitionibus, ac invitatum ad suscipiendam in prædio Suartesicensi, filiam de sacro fonte, tractat Regem splendidissime, donatque, non tamen illius placat animum.

Siquidem considerans Christopherus potentiam Caroli, & opulentiam, sibi magnopere formidandas, ipsum clam subvertere decrevit, instigatis in eum inimicis, & potissimum Christierno Dapifero, vindictam suæ captivationis machinante. Atqui Carolus cum vulpe probè doctus vulpinari, causæque diffusus, forum refugit, ad immunitatem provocans à Rege concessam; & tamen Christopheri mandato non modicam Finlandiæ partem adversario cedens, quam XIV. annis amissurus, ac Viburgum à Dapifero, sequenti primùm anno, impetraturus esset. Quamobrem de suo timens amplius corio ludendum, sub Octobris finem, opibus in naves quantocyūs congestis, Finlandiam versus cursum dirigit, Abogiamque X. Novembri, delatus, Regis despicit invidiam, & accusat perfidiam.

Sed Christopherus Upsalenſi multò benignior Archipræfuli, IV. Octobris, ipsum & Ecclesiam, Assessores, servitores, bonaque omnia, sub protectionem admisit, summo inhibens rigore, illi quicquam injuriæ irrogare, velut primario suæ designationis patrono. Post triduum verò contulit

cœno-

cenobio Finlandiæ, Nadendalenſi, Senatus affensu, amplissimos coronæ fundos, Stenberg & Helga, illucque translati monasterii arrogavit ſibi foundationem, ac dotationem.

Olaus Haldani, primus Upsalensis cantor Ecclesiæ, VIII. Septembriſ, morte ſublatus, novum in hâc basilica munus dignitatis, resignare compellitur.

Anno MCDXLII. ex oriente, Christopherus ſe regni accingit ex veteri consuetudine, iuſtrationi, incolis juramenta fidelitatis ubique præſtans, & vicifim acceptans, paſſim quoque Marschalcum infamans, ei-demque per literas mandans, initio veris Stocholmiæ comparere, adverſariorum querelis in visitatione cognitis reſponſuro. Sed Carolus, mortuo interim, XXIX. Aprilis, hofte primario Christierno, factus animoſior, reſcripsit ſe nequaquam eō venturum, niſi acceptis priuim obſidibus. Proindè ſubverens Christopherus, nè ſeditionem in ſua concitaret abſentia, miſſo Abogiam intimo Consiliario, Alberto Mœrer, falvo munitum conductu, Stocholmiam invitat Carolum amicifime. Attamen Regi amplius non fidens, claſſe decem navium, D. armatâ viris, ſe contulit ad illum. A quo benigniſſime inprimis fuſceptus, deinde jufſus antagoniſtis congredi, fidem appellat Regiam, ſicque evadentem, urget ad reſignationem Oelandiæ; Nigræ insulæ; & Abogiaæ, hancque ſolum Christopherus obtinet, Carolo pandens Viburgum, Christierni ablatum hæredibus.

Postea, Huitfeldio teste, impetrat Christopherus à Sueciis, Danis, & Norvegiis, tertiam unionis ſubſcriptionem, quâ Sondiam uni perpetim Regi fore ſubjectam, decerneretur. Verum II. Maji, volumen juris Suetici nonnihil emendatum ſuò approbat diplomate, tandemque in Norvegiā hinc abituruſ, regnum commendat Sueciæ Archiepiscopo Nicolao, & IV. Equitibus, quos inter Benedictus Joannis à Saleſtad, ac Nicolaus à Diurſholm, Oxenſternii fratres, exſtiterant, idque facit vigore decreti Ludosiensis.

Ludosiam verò progressus, mandato per Sueciā & Daniā promulgato, ſuos hortatur officiales, ad mansuetè cum plebeculâ procedendum, eamque monet ad obtemperandum, promptè juſta exigentibus. Ibi demum ab occurrentibus fuſceptus Norvegiis, Aslogiam perducitur, ubi ſolenniter inauguatus, in Daniā remeat, ipſius nunc priuim cingendus diademate.

Aroſienses poſt Olai mortem, peregrinis diutiū ſubefſe nolentes Episcopis, Achonem, ordinis monachum Väſteni Brigitinensis, designant unanimes Antiftitem, vehementer reluctantem.

Anno MCDXLIII. Christopherus in Daniâ, Calendis Januarii, Ripis coronatis, Evangelium excelfâ decantat voce, LXXII. Equeſtribus do-nat inſignibus heroas, & VI. poſt die cleri confirmat privilegia. Sed XV. Auguſti, ſua Bergenſibus roborat, & Calendis Junii, nova illic concedit Amsterodamenſibus, alibi etiam in Norvegiâ, præterquam Iſlandia, liberè negotiaturis imposterum. Leges verò municipales, XIV. Octobris, impertit Hafniensibus, ex perverto Byrcenſium in Suecia co-dice, conflatas, & ad reliquias deinceps civitates Daniæ propagatas. Idem quoquè Christopherus, Hafniam ſibi & ſuccesſoribus in throno percom-modam, ab Episcopo Roschildenſium acquisivit corona pro aliis latifundiis. Præter hoc inclytæ urbis diſpendium, paſſa etiam iſto Basilica Roſchildenſis anno, XIV. Maji, gravifſimum incendium.

Nec minus Lundiæ contigit infortunium, quæ mense Junio, mortis violentiâ, prænobili orbatur Antiftite, Johanne Laxman, & nacta proti-

nūs Tuvonem in cathedrâ successorem, recreatur, simulque universus Daniæ cleris, ob Regis sententiam Ripæ, VII. Januarii, prolatam, utpotè quâ illi, vix quindecimas hæc tenus à laicis percipienti decimas, omnium quotannis fructuum efficaciter adjudicavit.

Nadendalenses S. Birgittæ monachi, primò incolentes fundum parochiæ Mascho, in Finlandiâ, Karachyensem, deinde Stenbergensem, posteà Helgadensem, nunc his multò commodiori, munificentia dominiæ Luciaæ, Olae Tavasto genitæ, ac Henrico Claudi denuptæ, in Aëlis impetrato, XXIII. Augusti, supplices Christophero Hafniæ, translationis obtinent illâ conditione licentiam, ut nihilominus ipsum pro fundatore observarent primario.

Christopherus etiam non diutiùs ferendum ratus, quod Lubeca, olim Daniæ subjecta, nunc proprio gaudens dominio, tantoperè superbiam intumesceret, & potentiam Scondiæ animatus, illam Daniæ jugo iterum submittere molitur. Itaque dolo in primis occupandam meditans, militem ex Bavariâ advocationem, sub specie mercatorum immittit, & Vilsnacum votivam simulans peregrinationem, transitum poscit armatum, nec impetrato, Vilsnacum pergit, cum Germaniæ nonnullis illic convocatis, fœdus in Lubecenses conclusurus Principibus. Verum his machinationibus minimè pro voto succedentibus, Daniam mœstus repetit, alios molitus cuneos.

Anno MCDXLIV. Cum parentes Christopheri, Johannes & Catharina, olim in Bavariâ cœnobium fundassent Brigittinis Montisgratianum, & diœcesis Episcopus Eistadiensis ab illorum obitu, redditus adeò subtraxisset, ut solummodo LXXXIX. annuatim obtineret aureos, qui LX. personis non sufficerent alendis, incolæ hoc anno, novem ante Pascha septimanis, Vastenensium implorant literis patrocinium, à Rege per illud quidpiam adhuc subsidii confidentes se impetraturos, votique compotes evaserunt.

Et quandoquidem Patres concilii Basiliensis, summo cum Brigittinis rigore processissent, ad impetrandam ab Eugenio Papâ sententiam mitigationem; novam revelationum approbationem Brigittinarum; solitam earundem ad populum ex suggerito, cum indulgentiis, S. Petri ad vincula, similibus, promulgationem; indubiamque vivendi normam, Vastenensium bini monachorum, hinc Romam versus festinarunt; Sed prope Lubecum, rebus per latrones spoliati, domum, re infectâ, coguntur remeare.

Habuit hoc Christopherus tempore suum Babylone apud Baltazarrem Soldanum, Turcarum Imperatorem, Legatum, M. Johannem, sed quo in negotio non mihi constat. Per ipsum verò remissum hoc anno, Soldanus Christophero literas, & munera direxit, vas scilicet aureum permagni precii, balsamo refertum purissimo, deferens insuper filiam illi conjugem, Xerxinam, spondensque hanc propediem, se ad fines Moschoviæ navigio perducturum, Scondiam inde aditaram. Verum Christopherus illâ merito contemptâ sponsâ, Dorothæam Marchionis natam Brandenburgensis, suo expedit thalamo per legatos, quorum reor potissimum fuisse Nicolaum, Sueciæ Archipræfulem.

Itaque de hoc, aliisque Scondiæ negotiis porrò deliberaturus, Calmariæ, Junio mense, frequentissima celebrat comitia, ubi prælatam Archiepiscopo Lundensem Tuvoni, crucem duplēm, illâ nonnullam sibi primatus dignitatē in Sueones, tacitè adhuc arroganti, Linconensis, Stregnensis, & Vexionensis, Episcopi, vehementer nomine absentis, pro tempore, sui Primatis, indignantes, in præsentia Suetorum Pro-

Procerum, V. Junii, causam ab illo sciscitantur? Qui rubore suffusus, palam confitetur, se ob amorem hujus salutiferi signi, & præsentis honorem Regis, illud in provinciâ usurpare alienâ, in suâ vicissim iisdem de causis, Nicolao idem lubens permissurus, asseverat, solenniter protestans, quòd isto nequaquam facto, Primatis aliquam sibi vendicaret in Sueonum Ecclesiam, amplius jurisdictionem, quæ dudum expirasset.

Bergenses in Norvegiâ, de Vandalorum questi mercatoribus, sibi indigenis omne lucrum præripientibus, IV. Decembris, suo Christopherus diplomate, plurimum subtrahit advenarum licentiæ, statuens, ut Norvegis tantum in emporiis illorum, quantum his in Norvegiâ competit libertatis.

Anno MCDXLV. Nicolaus, Upsalensium Præsul, sibi commisso satissimaturus officio, totam visitat diœcesin, & Lulensem ingressus parochiam, XXIX. Junii, votum ab incolis ante quadriennium, serio emissum, suis approbat literis. Porro Confessor Västenensium, Magnus Unnonis, VI. Octobris, Romanam ipsem et viam felicius quam priores, ingreditur, inter alios ordinis patronos, Johanni, à Turre cremata, Cardinali commendatus. Quem insuper, velut etiam D. Hyemericum, & Abbatem obsecrarunt Bonevallensem, suis Västenenses literis, ut commentarios pro Apocalypsi conscriptos Brigittina, propriis & aliorum roboratos sigillis, in religionis subsidium vacillantis, quantocyùs destinare Västenum non gravarentur.

Interim advenerat sponsa Christopheri Dorothæa, ætate trilustris, parente fata, Johanne Brandenburgensium Marchione, qua cum matrimonii celebrat sponsus solennia Hafniæ, XII. Septembris, & post biduum redimita fuit diadema, in dotem illi propter nuptias, XLV. millia flororum, ex Sondiæ regnis Christophero pollicente, qui vicissim à socero, XXX. millium promissione aureorum, fuit ditatus. Festo autem nuptiarum finito, Proceres Sondiæ, Bavaros sibi passim in honore ac amore, officiis & beneficiis, haec tenus prælatos, impatienter ferentes, Christophero ipsos in patriam remittendo, ægrè admodum persuaserunt. Denique Vandalici Bergæ negotiantes mercatores, de nupero libertatum suarum illi querentes dispendio, sub Octobris exitum, aliud non impetrant, quam veterum confirmationem privilegiorum; citra tamen legum præjudicium aliquod Noricarum, indigenarumque detrimentum. Ita faustus Bergensisbus hic annus, & Stocholmensibus Sueoniæ funestus, ob incendium, quo tertia civitatis portio conflagravit.

Annus MCDXLVI. toti etiam fuerat Sueonum regno nimium exitialis, quòd domi fames, pestisque incolas horrendum affligeret, & foris progressos vietualium gratiâ comparandorum, Erici Regis prædones crebro spoliarent, cruciarent atque mactarent, Christophero piratis connivente. Nam Suecis non raro hac super injuriâ conquerentibus, aliud non respondit, quam avunculum in scopulis Gotlandiæ hærentem, non alio vitæ necessaria impetrare posse compendio. Qui veris tempore, Sueciam cum novâ nuptâ ingressus, citra ullum grassantis annonæ respectum caritatis, pro equorum pabulo, DC. hordei modios, per noctem extorsit quamlibet, à tabescientibus propemodum fame incolis, corticeque solo vietitantibus, inde probrosum apud posteros contrahens cognomentum, Barcha Konung, nempe Rex corticeus.

Neque tamen his contentus, vietualibus pro sua aulâ ex toto comportatis regno, quotidiè convivatur, commessatur & pergræcatur, interea etiam centum millia aureorum, in loculos suos recondens; feuda-

gratis alienigenis conferens ; ab indigenis pro solis acceptans literis, XX; nobulos, idemque protinus alteri feudum impertiens pro totidem nobulis. Unde saepius unum quotannis divenditum, sic scurriliter beneficium, benè Regem nummatum, sed melius reddidit defamatum. Demum alio æruscaturus dolo, bellum prætendit in avunculum, de Gotlandiâ profligandum; copiosum ideo cumulat nervum; Marschalcum ex Finländiâ advocat in subsidium, & ab illo genialiter Stocholmiæ tractatus, multisque preciosarum decadibus pellium donatus, cum ipso Gotlandiam petit infestus.

Verum illuc delatus, cum Erico, remotis arbitris, familiariter aliquandiu confabulatur, & tandem Sueonibus domum remissis, cum thesauro Daniam versus inde velificans, tempestatibus auriferum amisit navigium. Grandi simul ipsem vitæ periculo expositus, ægrè littus attigit seminudus, uxoremque Calmarniam adiit præmissam, & hinc in Daniam pergit tristissimus ; ita perfidiam illius Deo vindicante !

Priusquam vero Gotlandiam adiverat, Stocholmiæ, XVII. Julii, Ludolpho, Oeseliensium in Livoniâ Episcopo, sub regiam admisso protectionem, vetera confirmat ab antecessoribus Daniæ Regibus concessa olim privilegia, in Estoniae ducatum Crucigeris divenditum, & reliquum Livoniæ quidpiam sibi juris adhuc vendicans. Interim quoque soror illius Anna, de vivis in Daniâ per mortem sublata, Sorensi conditur monasterio.

Verum post abitum Christopheri ex Gotlandia, Ericus piraticâ Sueones infestans consuetâ, fraudem utriusque manifestat, & Carolus inde reversus, Suartesiæ divertit, ubi XXIX. Septembbris, Christinam connubio jungit Erico, Gyllensternorum propagatori, filiam, natione Dano.

Anno MCDXLVII. Cistercienses per Sueciam cœnobitæ, Nicolao facti supplices, Papæ obtinent facultatem, sacerdoti pro voluntate delecto se absolvendi semel in vitâ, & mortis articulo, à quibuslibet criminibus accusibus, etiam sedi reservatis Apostolicæ. Lundensem prætereà visitantibus Ecclesiam, festo S. Canuti Regis, idem Nicolaus, plenas criminum impertit condonationes. Atqui Upsalensem ignis populatus est basilicam, cum occidua urbis parte, & priori conflagravit anno, Clarensum virginum Stocholmiæ monasterium.

Cæterum Confessor Vastenensium, ab Eugenio non exauditus, propter horrendam schismatis grassationem, ex Italiâ in Belgum, anno priori mœstus secessit, & Coloniæ, ac Novevallii apoteoseos obtentâ Brigittinæ apologiâ, sigillis authorum, & testium roboratâ perplurium, Vastenum revertit. Indeque Junio hujus anni mense, Vastenenses utrique plurimum gratulati, Doctorem hortantur Hyemericum, ut promissa in omnes revelationum libros commentaria, elaborare; dubia illustrare; & æmulis obnoxia limare, non dignaretur, largam à Deo mercedem, atque singulares à toto gratias precesque ordine, æternum reportaturus.

Hac autem Christopherus æstate, insigni de Scandiæ regnis classe, in Oceanum productâ, Angliæ & Hollandiæ infestat negotiatores, ipsos in freto spolians Cimbrico permultis mercibus, quibus plerasque Hafniæ domos, velut etiam censibus ex Sueciâ, & Norvegiâ, illuc perlati in belli usum, complevit. Demum quosdam Sueonum Proceres, his, aliisque suis minus æquis adversantes molitionibus, plexurus, anni sub finem comitia indicti, Jenecopiæ, XIII. Januarii, frequentanda. Verum Deus insontium misertus, Christopherum scelus spirantem, & Jenecopiam

piam versus, principio anni sequentis, proficiscentem, Helsingburgi, V. Januarii, morte præoccupavit. Moribundus autem Danis exprobrat, quod se habuerint fugæ suspectum, cum thesauro non modico de Sondiâ comportato, asseverans, teste Crantio, illum in belli usus, pro subactione Lubecensium aliquando gerendi, esse congregatum, & magnam hujus partem, Sueonibus testamento legans. Ast licet nostrates hanc deinceps frequenter postularint, eam tamen Dani, cum preciosissimâ Regis suppelleâtile, universo belli nervo, apparatu, armamentario, equis, & classe Sueorum instructissimâ, sibi reservarunt.

Tempore autem obitus Regii, horrenda Sondiam pervasit tempestas, turres & sylvas prosternens, tectaque passim ædium, ac faxa per auræ in sublime transvectans. Sed funus Christopheri, Roschildiæ sepulchro infertur, mense Augusto. Quem tradunt Scriptores fuisse obesi admodum corporis, staturæ mediocris, præfervidæ mentis, ingenii petulantis, quod libidini mancipatum, lusui & poculis in multam noctem deditum, atque contentionis inter homines excitandæ foret studiosum. Quantum verò ad genus attineret, Regali fuerat Christopherus Sueciæ, Daniæ ac Norvegiæ ortus prosapiâ, utpote Magni Sueonum, & Haquini penultiimi Noricorum, at nepos, Monarcharum; Valdemari IV. ac Ducis Erici, ab nepos; Henrici, Megapolensium Principis, pronepos; Ruberti Cæfaris, atque Vartislavi VII. Pomeranorum Ducis nepos, filiusque Johannis Palatini Comitis, & Catharinæ. Is tandem sine liberis moriens, sceptra Sondiæ, Christiano, Oldenburgenium Comiti, & Carolo Sueciæ Marschalco, Regum quoque Sondiorum stirpe descendantibus, transmisit.

Laus Uni Trinoque Deo sempiterna.



TOURS. TITLES.

Item Averne, branche sonne de laurier, fleur d'acanthe; Hollequin.  
A. Jannet, mottes brûlées; Nonpareil; Nonpareil; Persis et desperée;  
doux et peuplé d'arbres; grotte impénétrable; casse épaucho non modico de son-  
gle coquillage; salles d'armes; rues d'Orme; ruelle en paille avec le lit du  
roye l'apres-séjour; silvain; eau de lavoir; eau de toilette; eau de  
peine partie; eau de lavoir; eau de lavoir; eau de toilette; eau de  
toilettage; eau de toilette; eau de toilette; eau de toilette; eau de  
eau de toilette; eau de toilette; eau de toilette; eau de toilette; eau de

Tambourin sonore opini Roi; Pionnes secondant le clavier; tambourin  
tambourin à la face d'orifice ouvert; ténèbres; tenuer; se faire la face; se faire  
face au temps; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer;  
tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer;  
tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer;  
tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer;  
tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer;  
tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer; tenuer;

100. Sante; Sainte; Sainte; Sainte; Sainte; Sainte; Sainte; Sainte; Sainte;  
grosesse; telle; telle; telle; telle; telle; telle; telle; telle; telle;  
telle; telle; telle; telle; telle; telle; telle; telle; telle; telle;

C'est que j'auoit des vies; C'est que j'auoit des vies;

